





DE  
LEGE COMMISSORIA  
SPECIATIM

1795 3

24  
343.

DE PRAESCRIPTIONE ACTIONIS EX EA DATAE

AD L. IV. §. II. D. DE LEG. COMMISS.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

QVAM

P R A E S I D E

D. ERNESTO GOTTFRIDO CHRISTIANO  
K L V E G E L I O

DIG. VET. P. P. O. CVRIAEC PROV. ELECT. CONSIST. ECCLES.  
SCABINAT. ET FACVLAT. IVRID. WITTENB. IVDICII  
ITEM PROVINC. IN LVSAT. INFER. MARCH.

ASSESSORE

PRO CAPESSENDIS

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
DIE XIII. APRILIS A. O. R. MDCCCLXXXV

P U B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

F R I D E R I C V S A L B E R T V S S C H M I D T  
K O E N I G S B R V C C A - L V S A T V S

R E R V M F I S C A L V M P R O C V R A T O R E T C A V S S A R . P A T R O N V S D R E S D E N S I S .

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.



DE  
LEGE COMMISSORIA

SPECIATIM

DE PRAESEQUITIORIBUS VIGILIAS EX LA DATE

AD LIV. ET UND DE LEGE COMMISSORIA

DIESKALENDARIO INVENIRENNALIS

GRAN



DE ERNESTO GOTTERIUS CHRISTIANO

H. L. V. I. O.

SCVILLAT ET TACITIUS. VITRINAE LIBRARI

INTER TERRAM IN LASSAT INFER NARCI

VITRINAE

PRO CAVESSENDES

SCVILLIS IN ATROGNAE LASSA MONOBIA

DE XCVI APRILIS A.D. MDCCLXXXVII

PRO CAVESSENDES

LUDWICAS ALBERTAS SCHMIDT

MONOGRAFICAE - LITERATAE

ILLUMINATISSIMUM LIBRARIAVATOR ET CASSER. LIBRORUM DEDICATORE

WIT. ERNST RÖGER. 1818. NON

ILLUMINATISSIMUM LIBRARIAVATOR ET CASSER. LIBRORUM DEDICATORE



## DE LEGE COMMISSORIA SPECIATIM DE PRAESCRIPCIÓN ACTIONIS EX EA DATAE.

AD LIV. §. 2. D. DE LEG. COMM.

*Prooemium*

Quanquam a contractu perfecto ob moram in implendo alterius contrahentis commissam recedere non licet, reliquum tamen est arbitrio pacientium speciali conventione recessui locum relinquere, nec hoc naturali rationi aduersatur. Factum igitur est, ut principaliter contractui varia adiucerentur pacta, quibus ab viroque contrahentium in continent, de dissolutione contractus iam iam intit ac perfecti, certo et determinato casu libera, consentiretur, idque annuente lege, hon-

A

solum



solum quia hoc libertatis naturalis esset, sed quia etiam e re publica visum, resolutione obligationum ex contractu praesertim volentibus pacientibus, litium ambages in rectam viam reducere. Haec autem resolutio, si ad momentum initi contractus retrahitur, ex tunc, fin autem a momento casus existentis demum efficaciam nanciscitur, dicitur fieri ex nunc. Ad prioris generis pacta in continentia adiecta pertinet illud commissorum, quod Lex commissoria et quidem hac ex ratione appellatur, quoniam, auctoribus Cuiacio<sup>a</sup>) et Noodtio,<sup>b)</sup> pacta contractibus legem dant, eamque ob causam etiam leges dicuntur, et conditiones adiectae, leges v. c. emtionis venditionis, quibus existentibus, res vendita venditori committitur, fällt zurück, indeque dicitur lex commissa, conditio non impleta. <sup>d)</sup> Hanc legem commissoriam, quamquam ab initio magis ad emtionem venditionem pertinuisse videtur, quum leges romanæ et quidem totus titulus pandectarum de lege commissoria, atque Codicis de pact. inter emtorem et venditorem compositis, de versanti circa emtionem venditionem dispositerint: posteriori tamen tempore aliis contractibus et conuentionibus adiectam fuisse, ipsa lex 3. C. de pactis pignorum edocet, qua, quum inter alias captiones praecipue commissoriae pignorum legis cresceret asperitas, eam (rei publicae causa) expresse infirmari Imp. Constantino placuit. Atque hodie, quin ea in omnibus contractibus, praeter pignoratum, admittenda sit, nemo dubitat, nec desunt exempla in foro, venditorem, locatorem, imo et ex iunctuo creditorem, per-

<sup>a)</sup> in paratilis Libr. IV. Tit. LIV. C. de pactis inter emtor, ex vendit, compos, in Operibus Tom. II. p. 288. seqq.

<sup>b)</sup> in Comment. ad ff. Libr. XVIII. Tit. III. Tom. II. p. 313.

<sup>c)</sup> L. 4. §. 2. D. de lege commissor. cfr. Ernesti clavis Ciceron. sub voce committere. Cuiac. I. c. verbis venditori committatur.

permissa per partes statis temporibus solutione sortis, adiecta  
stipulatione de residuo, si promissis non steterit debitor, uno  
actu soluendo, ea cum effectu vios fuisse.

§. 2.

*Quid sit pactum commisiorum sive lex commissoria.*

Si igitur ad id respicimus, quod quibusunque contra-  
stibus, excepto pignoratio, adiici possit, erit pactum commis-  
sorium conuentio inter contrahentes, ut certo et determinato  
facto statuto tempore non praestito, contractus principali-  
s pro arbitrio eius, cui factum praestandum est, finiatur,  
dissoluatur, et pro non inito habeatur: sin vero ad solam em-  
tionem venditionem, consistet secundum legis descriptionem<sup>4)</sup>  
in conuentione inter venditorem et emtorem inita, vt, nisi  
pretium intra certum diem sit exsolutum, res incinta fieret, vel,  
si latius id describere placeat, vt, pretio iusto et statuto tem-  
pore ab emtore non soluto, venditori pro lubitu a contractu  
recedere et soluto iure emti, id est, iure emtoris rem sibi ha-  
bendi, rem repetere liceat.

§. 3.

*Pacti commissori origo et finis.*

Originem legis commissorie nobis quaerentibus, nil nisi  
conjectura aliquid assequi licet. Eam ad exemplum commissa-  
rum mercium, ob vectigalia non soluta, inuentam esse, non  
nisi inquit concedam, quia causa videtur multo antiquior ea-  
que naturalis admodum, vel in quoconque negotio mutuo

A. 2.

d) L. 4. pr. D. de lego commiss.



4

¶

adesse, nimis, vitandi damni et consensu alterius anticipato futuras rixas caute excludendi, quam facultatem, pactum alio pacto et in euentum et postea mutuo dissensu dissoluendi, a naturali iure haud alienam esse, nemo non concedet. Quid igitur opus, originem ab inuento humano, quod necessitate urgente introductum, a poena atque odiosa exceptione, duceret? Scio equidem in hanc partem Gerhardtum Nochtium<sup>1)</sup> iuisse, quem legem pari modo commissoriam dici existimauit, quo in poenam fraudantis merces fisco commissae dicerentur, sed scio tamen eum verbis „sane vult commissorum pactum quid simile“ mentem indicasse, quod, ut omne simile claudicaret, res differentiis non vacaret. Hoc autem non negabo, quod sequenti tempore ad imitationem poenae commissi quedam in pactum commissorum translata esse possint, ut scilicet arrha pretiumque perderetur.<sup>2)</sup> Attamen, ut insuisse existimem in pacto commissorio hoc, quod poenae instar est, essentialiter vel necessario, sive etiam, ut aiunt, naturaliter, non accidentaliter, si nempe in specie ita conuentum, a me imprectrare nequeo.

#### §. 4. *Eius natura.*

Loquimur de legis commissoriae essentialibus, quae si pacientes verbis illis, quae regulam constituant, „res sit intenta“, ut fuerit, ex ipsa huius pacti natura fluunt, quibus praemissis videamus, an ei poena insit. Id autem omnino videtur esse negandum. Potius in eum euentum secundum regulam venditor hanc legem adiici curat, ut damna vitet, quae ei, cumum citoque supercedit in levi, inobtrusa silentia ad

<sup>1)</sup> In Comment. ad ff. de lege commissor.

<sup>2)</sup> L. 1. C. de pact. int. emt. et vend. comp.

5

ad implendum contractum principalem alias deuincto, ex morosi et rei familiaris suae parum studiosi emtoris cunctatione futura forent. Cautelae igitur loco, non lucri caussa, inuentum est; quam ob rem eleganter dixit Pomponius:<sup>g)</sup> quoniam id vendoris caussa caueretur, et Vlpianus:<sup>h)</sup> venditorem si velit, non inuitum commissoriam exercere. Hanc ob caussam non tota dissoluitur emtio venditio, quasi nullae vñquam adfuerint ex emto vendito obligationes. Pomponius enim,<sup>i)</sup> cum de inempto ex lege commissoria fundo actioneque exinde nata venditi ageret: nec, inquit, conturbari debemus, quod inempto fundo facto, dicatur, actionem ex vendito futuram esse. In emptis enim et venditis potius id, quod actum, quam id, quod dictum sit, sequendum est. Et cum lege id dictum sit, appareat, hoc duntaxat actum esse, ne vendor emtori, pecunia ad diem non soluta, obligatus effet, non ut omnis obligatio empti et venditi vtrique solueretur. Ex eadem ratione data est ad legem commissoriam exercendam actio venditi, non utilis, sed ex contractu principali ipso, qua poenam consequi nemo poterat, quoniam pactum in poenam comparatum, formam non emtionis venditionis solum egredetur, sed fere omnium contractuum bona fidei et pactorum in continentia adiectorum, quippe quae omnia nituntur rei, de qua contrahitur, utilitate, et circa formandum contractum versantur, qua de re Gerhardtus Noodt<sup>k)</sup> egregie exposuit. Neque est, quod obiciatur I. 5. D. de lege commiss. in qua adiecta ratio, quia fidem fefellerit, coniecturae locum facere videtur, ad fructuum percepto-

A 3

g) L. 2. D. de lege commissor.

h) L. 3. D. eod.

i) L. 6. §. 1. D. de contrah. emit.

k) in tractatu de transact. Cap. XI. in fine, a verbis: Possum videri

plus satis dixisse etc. Tom. I. p. 446.  
iuncto loco in Comment. Libr. IV.  
Tit. VI. ex quibus causs. mai. etc.  
verbis aeque mirere etc. Tom. II.  
p. 102.



rum restitutionem teneri emtorem in poenam. At non est ita.  
 Quanquam enim de emtoris obligatione, rem ipsam commissa  
 lege restituendi, nulla erat disceptatio, de fructibus interea  
 perceptis tamen quaerebatur, quoniam, commissoria lege non  
 impidente, traditione facta, consummata erat emtio venditio;  
 et emtor fructus interea suo iure percipiebat. Attamen non  
 in poenam fructus restituere tenetur, sed, cum contractus pro  
 non inito habendus sit, adeoque apud emtorem nihil, quod  
 ad eum non pertineret, remanere, neque, cum venditoris da-  
 mno locupletior fieri debeat, praesertim, cum contractus ex  
 ipsius culpa rescindatur, ne, si fructus lucretur, finis legis com-  
 missoriae, tanquam cautionis a venditore adhibitae aliquatenus  
 circumducatur, et emtor pactum redderet ineptum, dum  
 mala fide non soluendo pecuniari, venditorem a contractu  
 recedere cogeret. Generatim enim, ex eo, quod quis fidem  
 refellit, actio danda est, quemadmodum, Vlpiano<sup>1)</sup> aiente.  
 Praetor actionem de const. pec. se daturum edixit, arbitratus,  
 graue esse fidem fallere. Nec tamen haec actio, quanquam  
 speciem poenae habebat, eodem Vlpiano auctore,<sup>2)</sup> Marcellum  
 sequuto, poenalis, sed rei persecutoria erat. Quamobrem  
 de hac nostra venditi actione ut statuimus, ei quoque poenam  
 non inesse, multo quidem magis adducimur, cum ex contra-  
 etu veniat bonae fidei, qui captationem lucri inter contrahen-  
 tes non videtur admittere. Verum tamen omnino obicietur  
 l. 6. pr. et l. 4. §. 1. ff. de lege commiss. ex quibus in poenam et  
 arrham, et quae alio nomine ab emtore data sunt, committi  
 communis quaedam opinio affirmat, de qua statim latius su-  
 mus acturi.

1) L. 1. pr. D. de constit. pec. ad ff. Libr. XIII. Tit. V. de  
 2) L. 18. §. 2. ff. de pec. pec. const. T. II. pag. 252. et  
 const. Gerh. Noodt, in Comm. 255.

7

¶ §. 5. oī logib apī xō loī  
Vtrum lex commissoria comprehendat, ut in poenam  
arrha et pretii pars soluta perdatur?

Quedam hic praemittere lubet. Et primo quidem ex Madihni<sup>n)</sup> et Reuteri<sup>m)</sup> dissertationibus repetam, dari arrham pacto imperfetto, dari etiam pacto perfecto acceptam. Si illius sit generis, coniunctam habet obligationem disiunctivam, aut contractum perficiendi, aut arrhae iacturam faciendi. Si huius, naturaliter et ciuiliter<sup>p)</sup> eum in finem data est, vt euidenti medio probari possit, conuenisse contrahentes de pretio. Hoc loco autem, vt huius generis arrha intelligatur, necesse est, quae contractu perfecto datur, quoniam legi commissoriae non nisi perfecto iam contractu locus relinquitur.<sup>q)</sup> Deinde disquirendum est, quae in l. 6. pr. D. laudata sint ea, quae alio nomine ab emtore dantur. En verba Voetii,<sup>r)</sup> rem omnem exponentis accurate: quicquid emtionis nomine per emtorem erogatum sit, veluti in symposium, instrumenti emtionalis confectionem, proxeneticum parari, et si quae sint alia his similia. Vtrum igitur pretii iam soluti partem dicta lex 6. comprehendat, an de ea solummodo lex 4. §. 1. ff. de lege commiss. disponat, incertum, hoc vero certum, plerosque Iureconsultos et arrhae et pretii iam soluti partis iacturam in poenam emtoris statuere. An autem iure? videamus! Etenim, vt arrhae pretiique iam soluti partis iactura in poenam emtoris locum habeat, sane requiritur, vt haec vel ex pacto,

n) de effectu legis commissoriae,  
parte pretii non soluta.

m) de arrha pacto imperfecto data.

p) secundum l. 17. C. de fide  
instrumentorum.

q) de quo infra §. 6. plura com-  
memorantur.

r) Iohannes Voet. in Comm. ad  
ff. h. t. §. 3. Tom. I. p. 782.

pacto, vel ex legis dispositione, descendat. Ac, si ex pacto quidem proficisceretur, illi aut tacite aut expresse insit, necesse est. Tacite non inest. Verbis enim, quibus regulariter pactum commissorum concipitur: res sit inenita, poena non comprehenditur, quia, ut iam supra §. 3. monui, haec nil aliud sibi volunt, quam a parte emtoris promissionem, se existente casu a iure suo, ex perfecto contractu adquisito, venditorem ad implendum adstringendi, abstinere, atque venditori recessum concedere velle. Nec mens poenam sibi meti ipsi imponendi subintelligi, atque, contra regulam, naturaeque sacras leges, quae sibi damna inuechere vetant, civiliter statui potest aliter, quam si quis expresse et determinate in id consenserit. Id ipsi quoque Romani agnouisse videntur, quando legi quidem commissoriae, ut deinceps exponam, id, ut arrha perdat, expresse adderent. Expresse igitur si in poenam conuenit, alias non, pactum in poenam, tanquam per exceptionem a iure naturali, tendit, quare Imperatori Antonino<sup>1)</sup> e re visum est, his verbis: si ea lege vendidisti, ut, nisi intra certum tempus pretium fuisse exsolutum, emtrix arrhas perderet et dominium ad te pertineret, fides contractus seruanda est, in mente reuocare, additam esse huic exceptioni obligationem ciuilem. Lege autem atque auctoritate publica, ut, inuitu emtore, poena imponatur, certe requiritur primo, legem esse expressam, nec poenam solummodo ex verbis eius, de effectu quodam disponentibus, elici debere, cuius effectus causia efficiens non poena tantum, sed alia quoque fuisse potest. Iam haec ad citatam l. 6. de lege comm. applicanda sunt. Dicitur, quod arrhae vel alio nomine datum, apud venditorem remanetur, nec id, quod accessurum dictum sit, emtori deberi. At, cur hoc non dicitur! Caeterum l. dicta 6. continet frag-  
meatum  
in l. 1. C. de pactis inter emt. et vendit. compos.

9

mentum responsi Scaeuolae in specie sic dictum, cui nulla species, ad quam pronunciatum est, praemissa, ex qua ratio responsi elucesceret. Sibi igitur habeant iureconsulti, si ratio legis generaliter sumta, eos iam satis exercuit, praesertim cum, quod secundo loco monendi sumus, legem hancce omni relatione poenam inter et emtoris factum illicitum eiusque, ut dicitur, moralitatem desitutam inuenient, qualis tamen nexus, et is quidem arctus, in lege publica abesse non debet. Ita enim Iohannes Voetius<sup>4)</sup> in eos animaduertit, qui ex ista lege pretii partem solutam amitti existimant: contingere ea ratione, ut, quo quisque pretio soluendo promptior fuisset ac diligentior, eo magis puniretur; contra tanto minorem subiret iacturam, quanto fuisset negligentior in pretio numerando fideque implenda; atque ita diligentia damosa euaderet, mora prodefset. Præterea, si statuere velis ex lege saepius excitata iacturam partis pretii solutae, necessarium hoc quoque est, ut ne alii legi repugnet. Generaliter autem sumta lege 6. pr. semper emtor arrham et premium perderet. In lege 4. §. 1. eod. tit. ab Vlpiano, Neratium sequuto, contra ea edocemur, premium non semper perdi. Hoe enim sequitur, quum lex posterior, statuta per l. 5. ff. h. t. ab eodem Neratio ex Aristonis traditis regula, emtorem semper ad fructuum restitutionem teneri, exceptionem, qua fructus interdum lucratur, sistat, eo casu, si aliquam partem pretii, quod numeravit, perdit. Quomodo autem iactura pretii exceptionis casum sistere atque tesseram lucro interdum captando praebere potest, si ipsa regulariter et semper adeat? Quae cum ita sint, consultum erit, ut explicitur leges, prout naturalis ratio et analogia iuris postulat, ut concilientur. Naturalis autem ratio non admittit poenam, nisi in eam specialiter conuentum sit. Nec leges in re-

B. 100 p. 11 v. 1 gula

<sup>4)</sup> in Comment. de leg. comm. §. 3. Tom. I. p. 782.



gula in eos animaduertunt, qui fidem in implendo fallunt, quales sunt omnes debitores morosi. Quid actionibus indigeret, nisi iniuste negata obligatione? Et tamen pleraque sunt ciuiles non poenales. Imo Constantinus Imp. quum l. vlt. C. de pact. pignor. ob captiones legisque commissoriae in pignore asperitates a creditoribus rem oppignoratam reddi iussit, tamen eos amissione fortis non multauit, sed eos recuperare id voluit, quod dederunt. Intelligendam igitur puto legem 6. pr. ff. de lege commiss. ipsa enim verba legis eius commissoriae, quam interrogans tum sibi dixerat, non commemorantur, de casu, cum specialiter ita paclum, vt ea, quae arrhae vel alio nomine data sunt, apud venditorem remansura sint. Eademque specialis ratio, nimirum, vt emitor pretij partem iam solutam perderet, si expressis verbis ita conuentum, est legi 4. §. 1. eod.<sup>u)</sup>) Nam in ea quoque nulla species singularis pacti posita est. Quae interpretatio, vti iam per ea, quae supra monita, atque ex ratione facti ad poenam aliisque ducta sunt, firmatur, nouum exinde ducit argumentum, quod formularum, quibus conuentiones, praesertim emitte venditi, pactorumque ei adiectorum, formabantur, comprehendebantur atque concipiebantur, maxima fuerit diuersitas; vti dudum exposuit Brissonius,<sup>v)</sup> idemque, si conferas leges,<sup>w)</sup> manifestum est. Inde facile fieri potuit, vt inuicem miscerentur, legesque, omissis nonnullis

<sup>u)</sup> cfr. Iohannes Voet, in Com. de leg. com. §. 3. Tom. I. p. 782. Illustr. D. Kind in quaest. forens. Cap. 44. p. 176. seqq.

<sup>v)</sup> de form. et solenn. pop. Rom. verbis L. VI. cap. 44. in quo de lege commiss. agit.

<sup>w)</sup> L. 2. l. 4. pr. l. 4. §. 3. l. 5. l. vlt. D. de lege commiss. l. 10. §. 1. D. de rescind. vendit. l. 6. §. 1. D. de contrah. emt. l. 2. D. de diu. tempor. praescript. l. 6. §. 1. cod. l. 23. D. de O. et A. l. 38. D. de minor. l. 1. C. de pact. inter emtor. et vendit.

verbis, cum de casu, ad quem pertinent, non constet, repugnantes evadant. Imo, forte Icti Romani, ut breuitati studerent, id tantum, quod in primis ad rem faciebat, ut res sit in emta, ex formula posuerunt, reliquis consilio omissis, siquidem ad describendam legem commissoriam<sup>2)</sup> id poterat sufficere. Et ipsum Cuiacium<sup>3)</sup> aientem: Haec vero pacta, ut varia sunt, ita varias efficiunt eiusdem contractus formas. Nec si quae- ras, quae sit venditionis vel locationis vel alterius forma, possum dare certam atque perpetuam, quod ea pendeat omnis ex varietate et qualitate actionum, contractum enim formant, et ipsam actionem ex contractu. Itane? Quis enim est, qui ne- sciat formulas pacti retrovenditionis, et eius, in quo constitu- tum, daß der Fundus noch des Käufers Tode zurück fallen solle, de quo Bergerus<sup>4)</sup> meminit, legis commissoriae directis et obliquis, ut dicunt, verbis initac, imo legis commissoriae et pacti disciplinariæ, parum a se inuicem distare, et exinde natas esse ma- ximas inter Iureconsultos controversias. Quid igitur mirum, legem, cui (vti his citatis 4. et 6.) tota formula non est inserta, neque species facti apposita, pro generali accipi, quam haberi pro speciali, natura atque analogia legum postulant. Neque praetermittam Madihni<sup>5)</sup> opinionem, qui, Iureconsultum in d. l. 6. confusa forsan querentis narratione antcipitem factum ar- guit, vtrum id, quod enitor perfecta evitio dederat, arrha proprie sic dicta esset, an et aliam præstationem completere- tur, quum disiunctive loqueretur, id quod arrhae vel alio nomine datum fuisse. Sane talia accidere, præsettum cum in-

a) in paratitlis L. IV. Tit. 54. de  
pact. inter emt. et vendit.

Digitized by srujanika@gmail.com

¶

feriorum ordinum homines consilium exposcunt, quotidiana etiamnum causarum patronos docet experientia nesciunt enim illi saepissime perspicua oratione desideria proponere. Porro interpretatio, quae mihi placet, auxilium habet ex lege 6. §. 1. ff. de contrah. emt. supra iam allegata, ubi lege commissoria hoc duntaxat actum esse dicitur, ne venditor emitori pecunia ad diem non soluta obligatus esset, non ut omnis obligatio emti et venditi utriusque solueretur. Admittit scilicet emtor ius venditorem cogendi, ut sibi rem relinquat, ad quod natura contractus tenderet, sed ex ipso hoc contractu eiusque parte, puta, adiecto pacto commissorio, ad reddendam rem obligatus manet, et ex contractu, ipsa actione eiusdem nominis, conuenit, nec omnis ex contractu soluitur obligatio. Quum autem praeterea in emtione venditione res et pretium surrogatae et sibi inuicem substitutae sint, sequitur, ut ex eodem pacto, quo rei restitutio postulatur, etiam obligatio ad ei respondentem actum, nimis, ad restituendam arrham et pretium, quatenus solutum est, promanet, ne cumulando temp et surrogatum pretium in venditore, emtor damnum emergens sentiat. Venditor enim, qui modo cauit, lucrum, fines cautelae egrediens, petere nequit.<sup>d)</sup> Tandem, quod ad arrham attinet, nostram interpretationem egregie puto adiuuari lege 11. §. 6. ff. de act. emti venditi, qua, ut arrha, resoluta emtione, repeti posse, sancitum. Eamque fuisse regulam existimo, ut cum contractus resolutus fuerit, arrha, quae signum perfectionis erat, redderetur. Saltim, si alia statuas, nulla reddi poterit causa, quam ob rem expressis verbis legi commissoriae addiderint nouum de arrha per-

<sup>d)</sup> Gerh. Noodt in Comm. Libr. IV. Tit. VI. ex quib. causs. mai. XXV. ann. Tom. II. p. 102. a verbis: Aequa mirere etc.

23

denda pactum; quod tamen, ut ipsae docent leges,<sup>e)</sup> omnino factum est. Supersunt alia, quibus, quae dicta sunt, possent illustrare. Ne tamen in hac re diutius me contineam, sufficiant ista, ut ad ea, quae praecipue sum tractaturus, et quae his erant præparanda, accedam. Quamuis igitur statuere me recte credam, nullam inesse in regula in lege commissoria poemam nec emtorem arham pretiique iam soluti partem amittere, nisi in utrumque specialiter ita conuentum sit, quo pacto fini ordinario, cauendi, extraordinarius, poenae conuentionalis, additur, neque solide ipsis legibus contrarium probari, quae opinio aliis quoque placuit, quos laudat Lauterbachius:<sup>f)</sup> tamen receptam a plerisque sententiam in contrarias abire partes fateor.

§. 6.

*Requisita pacti commissorii.*

Requiritur autem, ut adsit lex commissoria in emtione venditione, partim, ut effectus morae in dissolutione contractus principalis constat, partim, ut contractus, cui adiicitur, sit perfectus. Etenim, quod attinet ad posterius, cum ex imperfecto aut inualido contractu nullae oriuntur ad eum seruandum obligationes, neque, quae alicui competant, iura, nulla etiam per pactum commissorium iura aut obligationes resoluti possunt. Neque obiciendum est, per ipsum hoc pactum reddi contractum inualidum, quia res fit inemita. Etenim per id pactum solum non sit contractus nullus, sed per accedentem omissionem emtoris, et resolutur potius, quamvis, ut dicitur, ex tunc, siue per aliquam fictionem ex tempore, quo contra-

B. 3

cta

<sup>e)</sup> L. 8. D. de lege commiss. l. 1. C. de pact. int. emt. et vendit.

<sup>f)</sup> in Coll. Pract. Pandect. L. XVIII. tit. III. th. 15.



Ita est obligatio contractus, quam quod vere nullus et inus-  
 lidus dici possit, cum ex vnius pendeat voluntate, utrum va-  
 lorem ipsius velit conseruare. Prius autem ad naturam legis  
 commissoriae, vi cuius res sit inemta, pertinet adeo, ut, nisi  
 hoc pactum sit, lex commissoria adesse nequeat. Nam possunt  
 in contractu emtionis per pacta nonnulla alia in certum even-  
 tum mutari, veluti dies solutionis aliter constitui, pretium au-  
 geri vel minui, conditio remitti vel adiici, arrha in certum  
 euentum maior constitui, et quae sunt alia. In his tamen  
 omnibus, quia res non sit inemta, lex commissoria non inest.  
 Haec omnia, ubi accommodatur lex commissoria ad alios con-  
 tractus, applicatione plane carent, cum is effectus, ut redeat  
 res, quasi nunquam tradita, ad dominum, in istis plane effici  
 nequeat. In locatione enim facere non potes, ut conductor  
 per id tempus, quo rem possedit, ea non usus sit, nec in mu-  
 tuuo, ut nummos, quos dedisti, debitor non expenderit, quem-  
 admodum in venditione res ita sumitur, ut dominium a tem-  
 pore initi contractus usque ad tempus resolutionis remanserit  
 apud venditorem. Ex hoc autem simul patere existimo, quan-  
 tum differat lex commissoria vera ab applicata ad alios contra-  
 ctus, ut etiam magis cum rei natura conueniat, si ista negotia  
 proprio nomine, clausulae scilicet *cassatoriae*, a vera separantur  
 commissoria lege, in quibus dominium aliquod quasi quiet-  
 sens statui non potest.

### §. 7.

#### *Effectus legis commissoriae.*

Effectus igitur legis commissoriae et quidem pendente  
 conditione non, nisi *negatiue*, existente autem casu sive com-  
 missa lege, *affirmatiue* determinari possunt. Scilicet pendente  
 condi-

conditione nullum habet effectum suspensuum, secundum regulam. Magis enim, vti leges demonstrant,<sup>g)</sup> conditione resolutur, quam sub conditione contrahitur emtio venditio. Verum id, vti monui, de eo, quod secundum regulam fit, intelligendum est. Verbis enim: „*nisi pecunia intra certum tempus soluta, res inemta fiat,*“ etiam conditionem proprie sic dictam, i. e. suspensuam inesse posse, euidenter docet Sabinum reprehensurus Paulus.<sup>h)</sup> Quae Pauli disputatio cum de vsucapiente emtore sub lege commissoria agat, quae causa ad id, quod in primis sum tractaturus, non necessario pertinet, et longiore, si species ponendae sint, postulet explicationem, iam ab ea disquirenda abstineo. Hoc tamen, quod simul ex illo ipso demanat, non possum non, quin adiiciam, legem commissorię tot esse qualitatibus, eisque etiam, prouti contrahentes paciscantur, sibi contrariis, praeditam, vt facile adducamus ad statuendum, illi, si excipias hoc, rem pro inemta haberi vel reddendam esse vendori, plane nulla competere perpetua attributa, sed ea potius omnia ab ipsa contrahentium voluntate, quam significauerint, pendere. Quae si non clare elucescit, non plures, existimandum erit, per legem commissorię emtioni venditioni adiectam exceptiones a regula et a praesumtiō serio contrahentium animo, dominium pure transferendi, esse constitutas, quam ipsa verba perspicue significant, finisque postulat, is scilicet, vt vendor non sit obligatus eique, vt recedere a contractu possit, permittatur. Nec alia videtur fuisse causa, quod Romani in constituenda lege commissoria prolixa vterentur formula, qua, quaecunque voluerint in pacto containeri, apertius dicenter.<sup>i)</sup> Ex his autem, quae superius posui,

g) L. 1. D. de lege commiss. l. 2.  
§. 3. iunct. §. 2. et 4. eiusd. leg. D.  
pro emtore.

h) cit. l. 2. §. 3. de leg. commiss.  
i) vid. l. 6. §. 1. D. de contrab.  
emtione,



sui, sequitur, ut adiecta quamvis legē commissoria, primo perfecta tamen semper sit emtio venditio a momento consensus contrahentis vtriusque, et periculum ab hoc momento ad emtorem spectet, quod eleganter probat Pomponius in commen-  
tario ad Sabinum,<sup>a)</sup> deinde, vt sit pura emtio venditio in regula, secuto igitur per traditionem implemento, emtor potestatem usucapiendi hanciscatur,<sup>b)</sup> tum, vt fides sit de pretio habita, siquidem cum praefiguntur solutioni dies, venditoreta eos exspectare velle, manifestum est,<sup>c)</sup> ex quibus tandem hoc quoque efficitur, vt non solum dominium, secuta traditione, in emtore transeat,<sup>d)</sup> nisi lex commissoria per modum conditionis suspensiuae fuerit adiecta, in qua specie venditio pura non est, et ne quidem titulus pro emtore usucapiendi transfer-<sup>e)</sup> tur, sed etiam emtor fructus perceptos suos faciat.<sup>f)</sup> Quodsi autem rem consideremus eo casu, quo existit conditio et lex, vt dicitur, commissa est, primo hoc sumus monendis, committi eam elapso die, quia dies pro homine interpellat absque vteriori interpellatione, qui dies, si certus in pacto non dictus sit, quod tamen raro ita eveniet, a iudice quoque, ad rogationem venditoris, vel, vt putant, ex venditoris interpellatione, potest determinari. Deinde a solo venditoris arbitrio pendet, vtrum commissoriam exercere, i. e. a contractu recedere, an potius premium petere, i. e. emtorem ad seruandum contractum adstringere velit, nulla plane circa hanc rem electione emtori relicta, quia, rem fieri inemtam, venditoris gratia cauetur, i. e. cautelae loco, quae facile ridicula foret, si emtori

<sup>a)</sup> L. 2. D. de lege commiss.

<sup>m)</sup> conf. infra §. 8. vbi de hoc plura.

<sup>b)</sup> L. 2. §. 3. et 4. D. pro emto-  
re. Voet. ad tit. de leg. com-  
miss. Tom. II. p. 779.

<sup>n)</sup> L. 38. §. vlt D. ad leg. Falcid.

<sup>o)</sup> L. 2. §. 3. D. pro emtore.

<sup>p)</sup> L. 5. D. de lege commiss.

emtori etiam recedere liceret a contractu.<sup>1)</sup> Postea, si venditor elegerit commissoriam, res est inemta, i.e. emtio venditio resoluitur, et quidem a momento initi contractus, quod, vt supra docui, DD. ex tunc vocant: dummodo hoc egerint contrahentes, vt non insit vera conditio in commissoria lege, quia tunc non opus esset, contractum resolui, qui non implebitur, vt Paulus scripsit.<sup>2)</sup> Verumtamen non omnis resolutur obligatio vtrique contrahentium: sed secundum finem patiti commissorii<sup>3)</sup> duntaxat ea, quae est venditoris, ad rem emtori tradendam, aut apud eum cum fructibus relinquendam, quando quidem fructuum restitutio ex parte emtoris ipso iure legi commissoriae inesse visa est I Ctis Romanis, ne emtor, si interim fructus suo iure perceptos irreuocabiliter suos fecisset, malis artibus eo fine, vt ipse saltim fructus lucretur, cogat venditorem, vt vel abslineat ab exercitio legis commissoriae, vel id in magnum suum damnum eligat. Evidem, quod ad id attinet, quod conditio retrahatur, occurunt formulae, vt pretio non soluto res inemta fieret<sup>4)</sup> praedium ad se reuertetur,<sup>5)</sup> quae rescissionem ex momento casus existentis recipere videntur. Sed salua res est, cum tantum ita videatur, non vere sit. Quin in emtis venditis potius id, quod adum, quam id, quod scriptum est, sequimur.<sup>6)</sup> Cum igitur, electa commissoria, res fiat inemta et contractus resoluatur ex tunc, fluit exinde, re nondum tradita, venditorem ab obligatione rem emtori tradendi et fructuum

q) L. 2. et l. 3. D. de lege commissoria.

t) L. 4. D. de lege commun. et l. 2. §. 3. D. pro emtore.

r) L. 2. §. 3. D. pro emtore.

u) L. 3. C. de pacis inter emt.

s) et per verba l. 6. §. 1. D. de contrah. emt. et l. 2. D. de lege commiss.

v) L. 6. §. 1. D. de contrah. emt. vend.



etuum causa rationes reddendi liberari; atque hac exceptione  
 emtorem agentem repellere, tradita autem re, rem non solum  
 ipsam, sed eam etiam cum fructibus atque accessionibus repe-  
 tere, et ad damna ab emtore data resarcienda agere posse.<sup>2)</sup>  
 Et is quidem verus atque proprius legis commissoriae erit effe-  
 ctus, cum res ita considerari debeat, tanquam si ipso illo tem-  
 pore, quo contrahebatur, plane nihil pacti sint contrahentes;  
 Verum sunt alia etiam bene multa, quae vulgo inter effectus  
 legis commissoriae referuntur, et quidem primo, ut dominium  
 ipso iure ad venditorem revertatur, quod in sequenti *lpho*,  
 plenius tractabitur, deinde, ut emtor arrham et pretii iam sol-  
 luti partem perdat, de quo iam supra §. 5. vberius est actum.  
 Hoc vero nunc addo, quod, quamvis de Berger,<sup>3)</sup> emtor-  
 rem pretium solutum, *cum usuris*, itemque expensas necessa-  
 rias repetere posse, existimet, tamen Voetio,<sup>4)</sup> et quidem  
 iure optumo, visum, venditorem pretium quidem, *sed sine usuris*  
 restituere teneri, quippe quae vel ex mora, vel ex conuen-  
 tione praestandae essent, quarum neutra ex parte vendoris in-  
 tercessisset. Nec inter expensas necessarias eae, quae in sym-  
 posium, instrumenti emtionalis confectionem, laudemium, et  
 alia similia, erogatae sunt, referenda, quoniam partim perso-  
 nam emtoris spectabant, partim contractus perfectus, imo pu-  
 rius in regula erat, nec per venditorem, ut ab eo abiretur, et  
 illae expensae emtori fierent inutiles, stetit. Quamobrem quae  
 de expensis scribuntur, ita attemperanda sunt, ut nullas em-  
 tor, nisi, quae in rem ipsam versae sunt, et meliorationes ap-  
 pellari solent, petere possit. Caeterum id praetereundum non  
 est,

y) L. 4. pr. l. 5. l. 6. §. 1. D. de lege commiss.

z) in Oec. iur. L. III. tit. V. th. VII. not. 2.

a) in Com. h. t. §. 3. in fine.

est, emtorem interdum fructus, quos interim, scilicet a die traditae rei venditae ad diem redditionis ex lege commissoria, percepit, lucrari, tunc nempe, quum pretii partein<sup>b)</sup> perdit. Quam exceptionem Vlpianus merito humanam vocat. <sup>c)</sup> Quis enim est, qui, eam aequitatis motu ad compensationem inventam esse, non intelligeret. Quamobrem, quamuis, ut supra explicavi, ex communis opinione lege commissa statuatur arrhae et pretii soluti iacturam facere emtorem, tamen ista exceptio etiam in foro recepta est.

## §. 8.

*Quaenam actio ex illa lege oriatur. An dominium ipso iure reuertatur?*

Dari ad exercendam commissoriam, siue contractus resolutionem, actionem venditori, facile est ad intelligendum, sicutque ex ipsa rerum necessitate, sicut id, quod ea actio solummodo venditori, non vero emtori competere queat, quoniam huic nullus recessus a contractu est relictus,<sup>d)</sup> nec per eius rei naturam relinquiri poterat. Quanam autem actione venditor tam de fundo, quam de his, quae ex fundo percepta sunt, et de eo, quod accessurum dictum est, contra emtorem experiri posset, inter veteres fuisse disputatum, ipsae leges<sup>e)</sup> clare indicant, Proculeianis et Sabinianis, vti videtur Ger-

C 2

hardo

<sup>b)</sup> nimicum ob specialem de hac iactura conuentionem, quemadmodum l. 4. §. 1. D. de leg. commiss. sumenda est.

<sup>d)</sup> artham autem et pretii partem solutam, si non perdit, condicione siue causa repetit. cfr. Ill. D. Kind in quaest. forens. l. c.

<sup>e)</sup> l. 4. pr. D. de lege commiss.



hardo Noodt, <sup>f)</sup> dissentientibus. Quanquam enim, quin pars in continenti adiecta, quibus contractus bonae fidei formatur, ipsi contractui insint, partem ipsius contractus ingreditur atque actione eius seruentur, non dubitabatur, tamen, cum hoc pactum spectaret ad dissoluendum contractum, negavit pars, et, ut quidem Noodtius ex verbis Vlpiani ad edictum coniicit, Proculo addicta, actionem ex contractu hic competere ad finiendum contractum, contra naturam actionis ex contractu ad eum seruandum inuentae, quae eo finito amplius obtinere non posset, ex quo placuisse huic sectae existimat Noodtius, dari potius actionem praescriptis verbis: Sabiniani autem, Noodtio obseruante, commoti ratione, quod pactum in continenti contractui bonae fidei adiectum, quamvis finiat <sup>g)</sup> contractum, tamen insit contractui, et actionem sicut ad seruandum contractum, ita etiam ad seruandas partes eius ex illo dari oporteat, ex vendito actionem competere existimarent, in quorum partes Imp. Antoninus et Seuerus iuere, <sup>h)</sup> dum venditori in rescriptis suis actionem ex vendito dederunt. Cui disputationi, vtrum venditor possit vti in personam emtoris ex vendito actione, an experiri debeat alia, cum locus ex isto imperatorum rescripto amplius non detur, haec tamen remanet quaestio, an, praeter hanc in personam, alia adhuc siue in personam, siue in rem actio venditori competit. Et venditor quidem, quod ad personalem, non absisse iussus est instituere actionem venditi. Nam in factum quoque siue praescriptis verbis, quamvis ea actio venditi actioni proxima sit, emtorem convenire non prohibetur, vt demonstrauit ex legibus, quem iam exci-

<sup>f)</sup> in Comment. ad ff. h.t. Tom. II. Opp. p. 313. et in tractatu de pactis etc. Cap. XI. Tom. I. p. 344.

<sup>g)</sup> En verba legis 4. pr. — et

quidem finita est emtio; sed iam decisiva quaestio etc. competit actionem ex vendito.

<sup>h)</sup> d. l. 4. pr.

22

excitauit, Noodtius in tractatu de pactis. Realem autem, quod attinet, dari eam, sere plerique, saltim pragmatici, rei vindicationem concedentes, affirmant. Ac de hac quidem re videamus. Huc pertinet quaestio, utrum dominium ex illo pacto ipso iure ad venditorem reuertatur, superius in hunc locum recta. Recite sane monent Iohannes Voetius,<sup>i)</sup> Gerhardus Noodtius<sup>k)</sup> aliique, distinguunt debere, num pactum commissorum verbis directis, veluti, *res sit inemta*, aut dominium ad emitrem pertineat, an obliquis, veluti, *res inemta fiat, ab emtione redatur, res reddatur, reuertatur*, sit conceptum. Si sit prius, venditori rei vindicationem, ob dominium ex fictione iuris ad eum vltro, ac si emtio venditio nunquam contracta fuisset, pertinens, tribuunt, sin posterius, denegant. Originem eius rei petamus. Si Hilligeri Donellum enucleatum<sup>l)</sup> inspicis, inuenies, primum DD. legibus, quibus vendori rei vindicationem haud negatam esse viderent, exagitati, exceptionem a regula, l. 20. C. de pactis statuta, quod dominium per pactum non, nisi traditione, transferri possit, statuere inceperunt. Verum Ferdinandus Vasquez, in libris controveneriarum, hanc exceptionem, tanquam legibus contrariam, reiciens, vt leges pugnantes conciliaret, refugium petuit in illo, quod in emto vendito, non soluto pretio, dominium, quamquam res sit tradita, non transeat, nisi fide de pretio habita. Ex hoc censet, distinguendum esse, utrum, re sub lege commissoria vendita, fides de pretio sit habita, nec ne. Posteriore casu traditione dominium in emtorem non translatum esse, sed apud venditorem remansisse, priori vero transuisse et penes emtorem esse, fidem

C 3

autem

<sup>i)</sup> in Comment. ad ff. tit. de lege commiss. §. 2. Tom. I. p. 782.

<sup>k)</sup> in Comm. ad tit. eund. Tom. Opp. II. p. 314.

<sup>l)</sup> Libr. XVI. Cap. 19. p. 1518. Not. F.

❧ ❧ ❧

autem non fuisse habitam, in dubio esse statuendum. Hac ex causa, cum fidem de pretio non habeat venditor, ob defectum translationis in entoreu dominii et possessionem non nisi preceariam, rei vindicationem, si vero fides habita fuerit, tantum actionem ex vendito competere venditori, putat. Sed hanc opinionem alium ex istis antiquis, Feliciaum de Solis, narrat Hilligerus, refutasse, qui putabat, adiecta ad venditionem legē commissoria semper fidem esse habitam, simulque nouam ad illas controversias conciliandas in medium proferebat distinctionem, scilicet inter pactum conceptum verbis directis, cui rei vindicationem, et obliquis verbis, cui actionem ex vendito attribuit. Evidem non dubito, quin in rebus emtis venditis dominium non per solam traditionem possit transferri, sed requiri, ut etiam pretium sit solutum, aut de eo fides habita. Id enim abscisse praescriptis Iustinianus.<sup>m)</sup> At vero in lege commissoria semper fides est habita usque ad diem solutioni praestitutum. Cui enim bono alias solutioni praefigerentur termini? Impura igitur hinc ex eo pacto non redditur emtio venditio, nec traditio ad transferendum dominium inhabilis. Quamobrem, ut tantam vim tribuam verbis, a me impetrare nequeo, quum incertum sit, an ea, quae, ut supra monui, pro talibus laudantur, unquam ad verba solemnia pertinuerint, quibus strictissime, arbitrio omni plane excluso, standum esset; quum intellexerim, occurrere leges, quibus, quanquam lex commissoria verbis, ut aiunt, obliquis concepta sit, tamen rei vindicatio venditori haud negata videatur. Sed quum haec a Just. Henn. Boehmero.<sup>n)</sup> egregie iam disputata sint, id solum adhuc adiiciam, Gerhardum Noodt, licet verbis, quae ab aliis directa et obliqua appellata sunt, vim et quidem prioribus do-

<sup>m)</sup> §. 41. I. de rer. divisi.

<sup>n)</sup> in disser. de verbis directis et obliquis §. XXX. seq.

minium retinendi, posterioribus transferendi, tribuat, tamen  
longe ab illis cognominibus absuisse, et, cum verba, vulgo di-  
recta appellata, in lege commissoria inueniuntur, contractum  
tantum ad puram emtionem venditionem retulisse. Sane, si  
qua inest in his verbis differentia, nulla ea erit, nisi praef-  
sentis aut temporis futuri. Quare, si secundum normam le-  
gis <sup>o)</sup> potius ad id, quod actum, quam ad id, quod scriptum,  
respicias, nec verbis inhaeresas, puto, dominium rei sub lege  
commissoria venditae et traditae semper penes emitorem esse,  
nisi aliter, nimirum, ut dominium apud venditorem remaneat,  
actum sit. Aliter actum autem videtur, cum, si possessio pre-  
earia tantummodo emitori concessa est, tum, si ipsa lex com-  
missoria in conditionem suspensiam abit. Et illa quidem ex-  
ceptio nititur l. 3. C. de pactis int. emt. et vend. comp. haec in  
argumento l. 2. §. 3. ff. pro emitore fundata est. Hac enim lege,  
quae iam supra §. 7. quum in enucleandis legis commissoriae  
effectibus pendente conditione morarer, claris verbis edo-  
cemur, quod obliquis verbis: ut, nisi pecunia intra diem cer-  
tum soluta esset, inemta res fieret, et conditio suspensiua et  
resolutiua inesse possit. Quid itaque inde? Ex verbis obliquis  
modo dominium in emitorem pure transferri, modo penes ven-  
ditorem remanere posse, neque iis id effici, ut actioni solum  
modo personali locus detur. E contrario, si dominium penes  
venditorem in duobus istis casibus antea recitat<sup>s</sup> remansit,  
quin rei vindicatio ei competat, dubitari nequit, cum alias re-  
gulae, quam ipse Iustinianus, <sup>p)</sup> tanquam juris naturalis, lau-  
dat, standum sit, dominia traditione transferri, nec ipso iure  
reuerti translata. Nam etiam interpretatio legum longius pe-  
titia dici potest, si dicas, vindicationem dandam esse, propter  
ea,

<sup>o)</sup> lege scilicet 6. §. 1. D. de contr. emt.    <sup>p)</sup> §. 40. I. de ter. diu.

ea, quod iis legibus rei vindicatio venditori haud abnegata videatur. Vnde enim occurunt exempla, leges speciale ponere caussam. Itaque hic quoque tales cause hisce legibus submitti possunt, quibus ordinem, eaque, quae iuris naturalis sunt, seruare licet, cum odiosa semper sit contra hasce regulas exceptio. Quomodo cunque res se habeat, tamen distinctio inter verba directa et obliqua pragmaticis fere omnibus placet, atque ab iis pro earum diueritate vel rei vindicatio vel actio ex vendito datur venditori. Plura de hac quidem re enarrare, lumen omittit, quia ad materiam praecipue tractandam non pertinent. Alias enim ne id quidem specie caret, ex quacunque lege commissoria rei vindicationem nasci. Praeterea de eo agendum esset, vindicationem nonnunquam magis fore vtilem, imo necessariam. De concursu tamen vtriusque actionis inferius nonnulla expositurus sum.

## §. 9.

*Quae sit actionis ex vendito natura, competentis ex lege commissoria.*

Competit igitur haec actio venditi venditori eiusque heredibus aduersus emtorem eiusque heredes<sup>q)</sup> ad resoluendum contractum<sup>r)</sup> et restituendam rem emtam<sup>s)</sup> cum fructibus<sup>t)</sup> interea perceptis, accessionibus,<sup>u)</sup> et ad id, quo res facta emtoris deterior facta est,<sup>v)</sup> imo etiam ad alia praestanda, si specialiter ita se obligauerit emtor, veluti ad id, quanto minoris venditor rem postea vendidit, soluendum.<sup>w)</sup> Neque mirum, actione

<sup>q)</sup> L. 38. ff. de minoribus xxv. <sup>r)</sup> L. 5. ff. eod.  
annis.

<sup>s)</sup> L. 1. ff. de lege comm.

<sup>t)</sup> L. 4. princ. ff. eod.

<sup>u)</sup> L. 6. §. 1. eod.

<sup>v)</sup> L. 4. princ. eod.

<sup>w)</sup> L. 4. §. 3. eod.

actione ex ipso contractu, ad eum seruandum inuenta, ipsum finiri. Inest enim, ut iam supra §. 8. ab initio monuimus, pactum in continentia adiectum ipsi contractui, et actione cognomi ad seruandam partem eius, quamvis resolutionis finis sit, agitur.<sup>2)</sup> Evidem, quod attinet ad fructus, Boehmerus<sup>3)</sup> docet, si verba sint obliqua, eos peti non posse, quoniam ex sententia recepta, quam in ea quidem causa sequitur, contractus ex nunc dissolueretur. Verum id confutari puto satis his, quae supra scripta sunt. Quum enim leges,<sup>4)</sup> quanquam verba obliqua adsunt, nisi tota pactio in conditionem abit, vtanatur verbo resolui, et ex iis tunc etiam ad fructuum persecutio nem actio venditi detur,<sup>5)</sup> quae legum dispositio tunc praecipue ex finis indeole sit necessaria, cum emtio venditio perfecta et pura facit, emtorque fructus suo iure interim percepit, ne malis artibus venditorem ad recedendum cogat, adeoque fructus luceretur: nulla ratio adest, cur emtio venditio, si obliqua verba adessent, ex nunc resolueretur. Aut enim resolutur ex tunc nullo discrimine inter verba directa vel obliqua, aut plane non resolutur, siquidem nulla resolutione indigeat, si conditio, quae etiam in verbis obliquis inesse potest, non impletur. Ad haec audiendus est Gerhardus Noodt,<sup>6)</sup> qui

scribit:

- z) Berger in oecon. iur. Libr. III. p. 99. Mencken de action. S. II. Tit. V. thes. VII. not. 2. Idem in C.H. M. VI. §. 20. Paelicke de aet. Resolut. LL. obst. ad libr. XVIII. Sect. III. C. II. §. 6. 7. Boehmer. Pandect. tit. 3. quæst. I. Struv. in de aet. S. II. C. VIII. §. 88. 89. 90. Syntagm. iur. ciu. exerc. XXIII. a) loc. cit. not. d.
- thes. 36. præsertim in additionib. Müller. Oldendorp. in progy-  
mnasm. action. forens. Clast. IV. b) L. 2. §. 3. D. pro emtore.
- act. I. rubr. in actionem venditti  
veniunt. no. 4. p. 448. Stryck de c) potissimum sec. I. 4. pr. de  
act. forens. S. I. membr. VI. §. 22. leg. comm.
- d) in tract. de pacis, cap. XI.  
Tom. I. Opp. pag. 446.

scribit: omnes contractus (id circa etiam actiones ex illis promanantes) excepta stipulatione, finiuntur rei, de qua contrahitur, utilitate, i. e. aestimatione eius, quod contrahentium interest, adeoque lucri cessantis et damni emergentis, vel etiam affectus pii et honesti, quem facile probet arbiter in iudicio bona fidei.

§. 10.

*Si actio venditi cum rei vindicatione concurrat,  
quaenam eligenda.*

Concurrere potest venditi actio cum rei vindicatione, secundum eam, quam antea latius proposui, legum explicacionem. Verum, quanquam lex commissoria, cum verbis directis concepta, siue verius, quando dominium in diem haud translatum esset, venditori, ut rei vindicatione vti possit, permittat, tamen utilius actionem venditi aduersus emtorem eligeret. Partim enim, si rem vindicat, non potest ea petere, quae in contractu promissa sunt, in quibus tamen nonnunquam plus inesse potest, quam quod rei vindicatione queat consequi. Praeterea, cum fructuum repetatur restitutio, eorum causa, si consumti sint, non videtur emtori iusta deesse exceptio, quando is quidem, pendente conditione, bona possidebat fide.<sup>6)</sup> Partim rei vindicatio molesta fieri poterit ex eo, quod, qui solo dominii fundamento nitatur, probationem dominii in se suscipere debeat. Quod si vindicanti negetur, frustra prouocabit ad hoc, emtorem ab eo ipso rem habere, cum aliena quoque res vendi possit. Quin, ne id quidem ambigendum videtur, emtorem, quamuis legi commissoriae non paruerit, si tamen venditor

6) L. 4. §. 2. D. fin. regund. Mencken in syn. Pandect. Libr. VI. tit. I. §. 7.

ditor vindicatione vsus non probasset dominium, rem emtam posse vsucapere. Quae difficultates cum premant in hac causa rei vindicationem, Stryckius<sup>1)</sup> cum aliis recte suadet, ut venditor contra emtorem, lege commissa, acturus eligat personam venditi actionem, quae saltim tutius instituatur, etiam si non sit pinguior.

§. II.

*(Quaenam emtori competant exceptiones.)*

Emtori ex sua parte a contractu recedere et ad eum resoluendum agere non posse, iam supra monuimus, tum, quum de fine legis commissoriae, tum, quum de actionibus, quae ex illa fluunt, exposuiimus. Sed exceptionibus tamen is, cum conueniatur, non plane vacat. Ac prima quidem haec est, per eum non stetisse, quo minus legi pareretur. Liberatur enim a restitutione rei emtiae, si id probauerit, et venditor, licet commissa lege, recedere a contractu nequit, siquidem finis legis,<sup>2)</sup> vt emtor impellatur, vt se diligentem bonumque patremfamilias praebeat, atque eo ipso cautela venditoris salua est. Ea tamen exceptio, latius, quam par est, extendi non debet. Nam, qui nihil habet in bonis, obiicere quoque posset, per se non stare, quo minus legi pareat. Quam ob rem huc pertinet id tantum, si vel ipse venditor, vel tertius quidam in causa sit, vt pecunia tempore constituto solui nequeat. Huc referas igitur, si venditor absens fuerit, cum emtor pretium offerre velit, sive, vt in lege<sup>3)</sup> scribitur, si emtor non habet, cui offerat, si magistratus emtori solutionem interdixerit,<sup>4)</sup>

f) de action. forens. Sect. I.

h) L. 4. §. 4. D. de lege comm.

membr. VI. §. 22.

g) L. 5. D. de lege commiss.

i) L. 8. cod.



forte etiam, si casu inopinato pecuniam iam paratam amiserit, si venditoris interea mortui heres infans sit neque tutorem habeat, vel, si qual alia, cui aequitas faret, praetendatur eius generis causa. Secunda exceptio, maximam partem pretii sese iam soluisse, spuria ea quidem, tamen ex aequitate<sup>k)</sup> a DD.<sup>l)</sup> admittitur. Tertia, quae ex praeципuis est, exceptio petenda erit ex venditoris sive expressa sive tacita iuris sui renuntiatione. Et de expressa quidem nihil est, quod dubitemus, quando quilibet quidem iuri acquisito renunciare possit.<sup>m)</sup> Sed neque in tacita vlla est dubitatio, cum in omnibus fere tacitum eundem, atque expressum, habeat effectum. Eademque legibus etiam comprobatur. Est vero tacita, vt in aliis materiis, quae ex factis colligitur, qualia in hac quidem causa sunt, si venditor, commissa iam lege, petat pretium ab emtore, totum vel eam partem, quae restabat,<sup>n)</sup> vel si eius vsuras petat,<sup>o)</sup> vel si oblatas eas, quas emtor debebat, pecunias recepit,<sup>p)</sup> sive eae totum pretium constituerint, sive eius partem, sive omne id, quod restabat penes emtorem, acceperit, sive etiam eius partem,<sup>q)</sup> sive tandem usuras. Per haec enim omnia legi commissoriae renunciasse videtur, quod de petitione pretii Hernogenianus<sup>r)</sup> aperte docuit. Nam, vti monet Hilliger,<sup>s)</sup> venditor is, qui pretium vel usuras petit, id non, nisi

<sup>k)</sup> C. 9. X. de poenis. <sup>n)</sup> L. 4. §. 2. D. de lege comm. 1) Leyser in medit. ad Pand. Specim. 197. med. 8. coroll. 3. <sup>o)</sup> L. 4. C. de pact. int. emt. et vend. Schmidts Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden §. 908. Stryck in usu mod. Pand. Libr. XVIII. tit. III. §. 6. <sup>p)</sup> L. 5. §. 2. D. de lege comm. <sup>q)</sup> d. l. 6. §. 2. <sup>r)</sup> d. l. 7. eod. <sup>s)</sup> in Donello enucleato loc. cit.

<sup>m)</sup> L. 31. D. de pactis.

litt. D.

ex causa emti, facere potest, atque istis factis satis clare mem-  
tem, se contractum seruare nec ab eo recedere velle, declarat,  
vt emtori, hac declaratione facta, ex hoc ipso facto vendito-  
ris, nouum ius, venditorem ad seruandum contractum cogen-  
di, acquiratur. Quam ob causam vendori, cum elegerit im-  
plementum contractus, si omnis quidem variatio in iure odio-  
sa est, resiliendo ad eius rescissionem, postea non licet variare.<sup>t)</sup>  
Omnium autem optima est exceptio quarta, repetita ex lapsu  
temporis, ex quo non tam tacita renunciatio colligitur, quam-  
uis ea etiam certo respectu in eo insit, quam negligentiae, ob  
salutem reipublicae, poena auctoritate publica imponitur.  
Quae hue vique a me decantata sunt, hoc proposui animo, vt  
mihi quasi viam aperirem, qua eo tutius, materiam de actionis  
ex lege commissoria praescriptione explicaturus, incederem.

§. 12.

*Quo tempore, sola contractus indole atque analogia speciata,  
praescribatur actio venditi ex lege commissoria.*

Neminem fugit, rei vindicationem aduersus bonae fidei  
possessorem, qualis emtor erit, sicuti dominium ipsum, et qui-  
dem, vt mittam ius antieustinianeum, Iure Codicis in re mo-  
bili triennio, in immobili inter praesentes decennio, inter ab-  
sentes vicennio, Iure nostro autem, in re mobili anno Saxonico  
eo, in re immobili triginta annis cum additamento Saxonico  
excludi praescriptionis exceptione. Durant enim reales actio-  
nes tamdiu, quamdiu ius ipsum durat, vt bene cum aliis mo-  
net Strykius.<sup>w)</sup> Quamobrem, si propter legem commis-  
soriā

D 3

riam

<sup>t)</sup> d. l. 4. §. 2. et l. 7. d. l. c.

<sup>w)</sup> de actione forensi. Sect. III. Membr. II. action. I. p. 279.

riam institutus rei vindicatio, dum ei locus conceditur, nullum esse potest dubium, quin ea praescriptionis tempora debant obseruari. Sed de ea quidem reali actione multa dicere, animus non est. Eodem modo actio ex vendito, quae est actio ciuilis et personalis ex contractu, ut omnis eius generis, Iure Codicis xxx. annis,<sup>x)</sup> nostro autem iure in Saxonia xxx. annis adiecto anno et die,<sup>y)</sup> praescriptione tollitur. Quae cum ita sint, ad hanc quoque exercendani venditi actionem, de qua agimus, cum ea sit, vti quaelibet venditi, personalis, eadent tempora dari, ut affirmemus, generalis ille suadet legum consuetudinumque iussus. Quae enim ab Imperatoribus, Honorio et Theodosio,<sup>z)</sup> in hac causa actionum in personas praescriptionis olim constituta sunt, ea adeo vniuerse scripta legitimus, ut ad omnes omnino personales pertinente actiones. Quin, si in specie de hac venditi actione, de qua agimus, dicendum sit, idem tempus praescriptionis, ut statuamus, celebrum Doctorum auctoritas auxilium praebet. Nam, vti scribit Stryckius iam laudatus, axioma, xxx. annis praescribi actionibus personalibus, non procedit tantum in actionibus ad contractus implementum facientibus, sed etiam, quae tendunt ad contractus impugnationem vel rescissionem, et omnia remedia iuris ciuilis rescissoria durant xxx. annos.

### §. 13.

*Tempus, quo praescribitur actioni venditi ex lege commissaria, brevius ex l. 4. §. 2. D. de lege commiss. sumitur.*

Quae disputauit de actionum personalium praescriptione, non sunt sine ylla exceptione. Sunt tempora praescriptionum et

x) L. 3. C. de praescript. xxx. ann. nor. Stryck laud. S. III. m. II. axiom. 2. p. 284. et S. IV. m. V. p. 341.

y) Schotti Instit. iur. Sax. L. II. S. II. §. 24. p. 210.  
z) d. l. 3. C.

et longiora et breuiora, ne quidem lege ipsa Honorii et Theodosii exclusa. Praeterea, ut iam apud Romanos multae actiones personales breuiori praescribebantur tempore, ita post iuris Romani receptionem passim, in Saxonia quoque, spatium praescribendarum actionum personalium coarctatum fuit, cum vel certitudo dominiorum,<sup>a)</sup> vel alia salutis publicae augendae ratio id postulare videbatur. Quae cum sint satis nota, de ipsis omnibus agere, superuacaneum foret. De ea autem actione, quae materiam scriptio[n]is praebet, videamus, vtrum comprehendatur sub regula. Eam autem non comprehendi, probari posse videtur ex l. 4. §. 2.D. de lege commissi exceptionem que eam vsu fori confirmari, Illustris Kindius<sup>b)</sup> auctor est. Ita autem fluunt in lege laudata verba Vlpiani: *Eleganter Papinius libr. 3. Responsorum scribit: statim atque commissi lex est statuere venditorem debere, vtrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere, nec posse, si commissoriam elegit, postea variare, ex quibus colligitur, nisi vendor se statim declarauerit commissoriamue exercuerit, eam temporis lapsu siue præscriptione extinctam esse.* Sed quum Iureconsultis omnibus fere vocem statim pro momento habere, durissimum immo quid impossibile visum, in id consenserunt, quod haec vox statim cum quodam laxamento et temperamento accipienda sit, et modicum tempus ab arbitrio iudicis, vel ex more regionis,<sup>c)</sup> statuendum contineat, quod etiam ipsis consentaneum est legibus.<sup>d)</sup> Quamobrem in hac quoque causa ita accipienda erit vox statim. Haec autem sententia, in actione ex lege commissoria ordinarium præscriptionis spatium non esse admittendum,

<sup>a)</sup> exemplum habe in Dec. El. Sax. 27. d. a. 1746.

<sup>c)</sup> Berger in Oec. Iur. Libr. III. tit. I. th. 8.

<sup>b)</sup> in quaestio[n]e forensi cap. XLIV. pag. 175.

<sup>d)</sup> L. 105. D. de solution,



dum, sed breuissimum ex significatione vocabuli statim destinenduni, noua non est. Dudum rem omnem exposuit late Nicolaus Valla <sup>e)</sup> scribens: Itaque die statuto debet emtor offerre pretium, si vult a legis commissoriae potestate se eximere etc. liberatur ob signando saculum cum pecunia, si non habet, cui offerat etc. Quid ergo, si emtor pretium non obtulerit intra tempus praestitutum et fundum nihilominus aliquam diu sine interpellatione (puta ex argumento totius loci, post lapsu tempus praestitutum) possederit? An possit venditor eam legem exercere, id est, fundum ipsum petere actione ex emto propter potestatem ipsius legis commissoriae? quod videtur. Papinianus tamen libro 3. Responsor. scripsit, statim, atque commissa lex est, statuere venditorem debere, utrum commissoriā velit exercere, an potius paclū petere, quae verba: „statim „postea“ intelligenda sunt cum aliquo temperamento, id est, intra modicum tempus arbitrio iudicis statuendum, arg. l. 21. §. 1. ff. de pec. const. l. 15. §. vlt. ff. ex quibus causis mai. xxv. annis etc. l. 16. ff. eod. tit. Ego autem scio, venditorem fuisse exclusum arresto (i. e. sententia <sup>f)</sup>), qui ex lege commissoria fundum petebat post triennium, ex quo dies statuta effluxerat, quia ex lapsu tanti temporis vel minoris venditor legi commissoriae renunciasse videtur, vel fidem habuisse de pretio.

<sup>e)</sup> de rebus dubiis in tractatu II. no. 15. et 16. in Tractatu tractuum Tom. XVIII. p. 332. b.  
<sup>f)</sup> Idem Valla l. c. p. 343<sup>a</sup>. verba: Aucus arrest et questions no-

tables donnez et traictes de puis l'an. 1542. ita interpretatur: Hoc est sententiae aliquot et questiones notabiles etc.

compilatio (oubis. 3 i. j. 14. 11 id) compitum horis  
An lex 4. §. 2. D. de lege commiss. vere praescriptionem  
actionis brevissimam probet.

Maximam sane, si hanc legem de minuendo spatio ad praescribendum dato intelligimus, sif sit exceptionem a regula ea legis dispositio paullo curatori disquisitione digna. Quo articulus igitur veritatis vestigia premere nos liceat, primum singulorum verborum textus indolem perscrutemur. Statuere debet venditor, vtrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere, nec potest, si commissoriam elegit, postea variare. Nonne idem est, ac si scriptum esset, deliberato et determinato animo emtor eligere debet, quid ei consultius sit, an recessus a contractu, an eius obseruatio, et cur? quoniam postea non licet variare, i. e. uno electo ius eligendi et variandi extinguitur. Statuere idem est ac apud se statuere, sich bestimmt und unwandelbar entschlossen, actuunque magis intellectualem significat. Sed, quod ad statim, atque commissa lex est, attinet, quid dicemus, cum ea quidem vox omnem moram respuat. Attamen non desunt exempla in Pandectarum et Codicis legibus, vbi vox statim continuatum temporis spatium includit. Audiamus de eo veteres Iureconsultos. Et ita quidem ait Albertus de Pergamo<sup>2)</sup> confessim, i. e. quam citius potuit; item confessim, i. e. statim, quando ponitur ad aliquid dandum vel faciendum, tunc intelligitur cum aliquo temporis intervallo. l. 105. ff. de solut. et liberat. Statim,<sup>3)</sup> i. e. quam cito potuit, l. 57. ff. de procurat. qui procuratorem dat, ut confessim agat, i. e. intra quinque dies, item statim-triduum, l. 3.

C. de

<sup>ta. 28q. aliud. 140. 141.</sup>  
B) de prepositionibus in Tra*ta. 28q. aliud. 140. 141.*  
statu tractatu Tom. 18 p. 275<sup>a</sup>. ce; Statim. <sup>ta. 28q. aliud. 140. 141.</sup>  
no. 46. sub voce; confessim.

E

C. de error. aduoc. (vbi in continenti, i. e. triduo) cum aliquo temperamento accipitur l. 105. ff. de soluf. et liberat. Iacobus deinde Cuiacius <sup>i)</sup> exhibet exemplum ex l. 7. §. 11. ff. de admin. et pericul. tutor. vbi vox statim pro perpetuo, perseueranter, sine intermissione, sine laxamento (duorum mensium) vom Anfang des Jahres an immer fortwährend, accipiendum, atque monet, sic eam saepe in aliis auctoribus accipi, duos celebres Grammaticos, Nonium et Donatum, iam notauisse. Porro Christophorus Besoldus in thesauro <sup>k)</sup> iudicat, dictiones mox, illico, in continenti, statim, omne quidem excludere interualum, non tamen modicum, iudicis arbitrio relinquendum. Eundem in modum Paul. Math. Wehner <sup>j)</sup> quem Bergerus <sup>m)</sup> sequutus est, eadem vocabula interdum significare judicis, tanquam boni viri, arbitrium, existimat, vt scilicet ius dicens secundum materiam subiectam et personarum conditionem determinet tempus, intra quod actus expediendus veniat, hoc est, nec minimum nec maximum temporis spatium, sed moderatum, et tale, quod magis intellectu percipi, quam elocutione exprimi potest, nimurum, consentiente Bergero, <sup>n)</sup> ratione, naturae et indole caussarum, circumstantiisque consentaneum. His iungo Richterum, <sup>o)</sup> qui sub vocibus statim, illico, confessim, mox, tempus arbitrarium comprehendit, multis enarrat, obseruatque, intelligi a nonnullis momentum, ab aliis biduum

vel

<sup>i)</sup> in Observat. Libr. V. Cap. XII.  
in Operibus Neopoli 1722. editis  
Tom. III. p. 122.

<sup>k)</sup> sub voce: alsbald, pag. 27.  
no. 44.

<sup>l)</sup> in Observat. pract. sub voce:  
alsbald, mox, illico, p. 13.

<sup>m)</sup> in Oec. Iur. Libr. III. Tit. I.  
thes. VIII. nota 3.

<sup>n)</sup> in Oec. iur. loc. cit. et L. I.  
T. II. th. XV. not. 1.

<sup>o)</sup> de significat, adverbiorum in  
iore, sub voce: statim, item his:  
confessim, illico, in continenti,  
mox.

vel triduum, ab aliis decendium, ab aliis quindecim dies, ab  
 aliis tandem duos, tres, quatuor menses, omnia illa diuersa  
 quidem ex certarum legum argumento, imo ab aliis, ex mente  
 iuris canonici, ") annum et diem. Plures iam, qui de his  
 nonnulla tradiderunt, lubens omitto. Potius iam totum tex-  
 tum in complexu suo contemplabimur. Summa legis eo re-  
 dit, quod suadet venditori, ut statim, atque lex commissa est,  
 statuat, quid ei consultius sit, vtrum velit commissoriam ex-  
 erceret, an potius pretium petere, vtrum recedere velit, an  
 contractum seruare et emtorem ad implendum conuenire, ad-  
 ditque rationem hanc: non potest postea variare. Respon-  
 dent verba: statim et: electio eius, quod potius velit, verbis:  
 postea nulla variatio, nulla electio. Inde non errabimus, si  
 sensum legis ita describimus: quum venditor, actione ex lege  
 commissoria ad resoluendum contractum semel instituta, ad  
 contractus conseruationem redire, et vice versa, si pretium  
 pettit, i. e. ob legem 7. ff. de leg. commiss. tacite iuri receden-  
 di a contractu renunciavit, ad commissoriam reuerti nequeat,  
 statim, atque commissa est lex, statuere (deliberato et constanti  
 animo perpendere et eligere) debet, quid potius velit, (quid  
 ei consultius sit) antequam vel commissoriam exercet, vel pre-  
 tiuum petendo tacite ei renunciat. Intelligimus, legi eam esse  
 mentem, venditori ob oculos proponere, quanti hanc electio-  
 nem facere oporteret, quaenam eam sequerentur incommoda.  
 Intelligimus porro ius eligendi et variandi, emtori competens,  
 hac lege finibus circumscribi, et docemur, id, vel exercendo  
 commissoriam, vel pretium petendo, (sive, quod secundum  
 supra enarrata addas, usuras petendo, eas, vel pretium, vel  
 eius earumue partem, si quid horum offeratur, accipiendo,) sta-  
 tim finiri atque excludi, non vero solo temporis lapsu vnam

E 2 aut

p) cap. 2. XX. qu. 2.

aut alteram harum actionum, quibus id, quod potius voluit, venditor consequitur, amitti. Hoc sane certum, electionem commissa lege competitissimae venditori. Porro certum, si post diei lapsum pretium usurpationis petiti, aut partem reliquae pecuniae accepit, recessum a commissoria, renunciatum commissoriae videri.<sup>1)</sup> Renunciauit igitur his factis tacite, et, ut renunciare potuerit, necesse est, ut ius eligendi adeoque commissoriam exercendi, usque ad hanc tacitam renunciationem habuerit. Idem Gerhardus Noodt<sup>2)</sup> mihi existimat videtur, dum scripsit: potest igitur venditor lege commissoria si volet vti, sive minus, renunciare. Et ait Vlpianus l. 4. §. 2. h. t. Papinianum sequutus, venditorem statim atque lex commissa est, statuere debere, utrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere. Potest igitur legi commissoriae renunciare parlam, (cui bono, si commissa lege actioni sine ultra mora praescriberetur,) nec minus tacite; fac, post diem commissoriae legi praesstitutum non vindicationem instituit, sed pretium petit, eiusque partem vel usurpas, l. 4. C. h. t. verissime ait Hermogenianus, l. 7. ff. h. t. quod deinde nec variare, nec ad hanc redire potest. Idem ante probauit Vlpianus, Papinianum secutus, d. l. 4. §. 2. Omnem igitur legis vim ad probationem dari tacitam renunciationem, atque deinde non posse variari, resert, tempusque praescriptionis, maxime extraordinarium, notatu dignissimum, ubique filet. Eam sententiam exemplum collustrabit ex Pauli libro I. Decretorum desumptum, atque in Pandectas<sup>3)</sup> relatum. Aemilius Larianus ab Obinio fundum Rutilianum lege commissoria emerat, data parte pecuniae, ita, ut si intra duos menses ab emitione reliqui pretii partem dimis-  
diam

q) L. 6. §. 2. l. 7. D. de leg. commiss.

<sup>2)</sup> in Comment. ad ff. tit. de leg. comm. Tom. II. pag. 313.

5) L. 38. D. de minorib. xxv. annis.

diam non soluisset, inemtus esset: item, si intra alios duos menses reliquum pretium non numerasset, similiter esset inemtus. Intra priores duos menses Lariano defuncto Rutiliana pupillaris aetatis successerat, cuius tutores in solutione cesseruerunt; vendor, denunciationibus tutoribus saepe datis, post annum (saltim igitur octo menses post diem, ex quo posteriores duo menses effluxi erant,) eandem possessionem Claudio Telemacho vendiderat; pupilla in integrum restitui desiderabat; (quae restitutio actum iure stricto validum ponit) Vista, tam apud Praetorem, quam apud Praefectum Vrbi, prouocauerat. Putabat Paulus, bene iudicatum, quod pater Rutiliana, non ipsa, contraxerat. (quia pactum commissorium a praedecessore eius, eoque maiore, initum fuit<sup>1)</sup>) Imperator autem motus est, quod dies committendi in tempus pupillae incidisset, eaque effecisset, ne pareretur legi venditionis, et quia ei commissoria displicebat, pronunciavit, in integrum restituam, licet, ut Paulus ait, principiis de iure restituendi refragantibus, quae, vii restitutionem contra venditionem pignorum a praedecessore pupilli constitutorum a creditore factam, ita et hanc, Rutiliana, repellere debuissent. At Paulus aliud elicit argumentum, dicens: posse magis ea ratione restitui eam, quod vendor denunciando post diem, quo placuerat esse commissum, et pretium petendo recessisse a lege sua videretur. Ergo Obinius saltim octo menses post diem, quo placuerat esse commissum, commissoriam exercuerat, idque, ex Pauli sententia, optumo iure, dupli apud Praetorem et Praefectum Vrbi caueae cognitione firmato. Prouocat Rutiliana, Imperator succurrere studet, nullum adest argumentum, nisi principiis iuris

E. 3 col. 1. ibidem 19 ib. haud

<sup>1)</sup> conf. Voet. in comment. ad Pandect. ad cit. leg. de minor. xxv. ann. Tom. I. p. 262.



haud consentaneum. Nemo vidit melius, Paulo. In quo? Temporis lapsu? Minime. Verum quidem in ipsius venditoris factō commissio, quum post diem denunciasset, atque protium petiisset. Omnes enim, latens ea quidem et subtilis, ratio fugerat, quod is, qui pretium peteret, hoc non, nisi ex causa emti venditi, petere possit, eo animo, ut contractus, quamvis lex esset commissa, seruaretur, ex quo, per hoc factum satis declarato, ius emitori notum, venditorem ad renunciationem suam adstringendi, nec ei postea variationem concedendi, emersisset. Non itaque amplius mirabimur, quum ab Ulpiano in l. 4. §. 2. ff. h. t. relatum legimus, eleganter Papinianum ita scripsisse, ex quo simul colligere possumus, totam §. 2. legis dīctae ad hanc elegantem rationem, explicandasue tacitae renunciationis vires pertinere, et in venditoris gratiam, ut sibi consulteret, scriptam, ne ex hisce factis, renunciationis speciem haud prae se ferentibus, iure suo periclitaret, atque iure recedendi priuatur, antequam elegisset et voluisse. Quid enim bono viro magis conuenit, quam emtorem amice interpellare, ne sua omissione in damnum incurrat. Et tamen propter hoc officium humanitatis proprio iure cadimus. Monetur igitur venditor, ut statim eligat et statuat, ne contra voluntatem factis suis a iure, quod habet, excludatur. Quae cum ita sint, verba: statim atque commissa lex est, commodissime hanc recipient ut explicacionem: a die commissae legis usque ad actum cum tacita renunciatione coniunctum, qui, licet ex voluntate venditoris, saepe, praesertim, si in interpellatione consistit, diem commissi interdallo sequitur breuissimo. Similiter autem ex his efficitur hoc, in ista l. 4. §. 2. d. L. C. nullam licti extincti iuris eligendi et variandi, multo minus extinctae ipsius actionis, per lapsum temporis, ne quidem ordinarii, inesse cogitationem.

§. 15.

obet mes lorp , bi anno §. 15. up , solido do thiedelby  
*Causae verisimiles , cur ICTi extraordinarium tempus prae-  
 scriptio[n]is actionis ex lege commissoria statuerint.*

Attamen, quod iam supra monui, §. 13. Iureconsultis me-  
 dii acui aliter visum, ab iisque iuri eligendi, licet nullum inci-  
 deret factum a venditore commissum, renunciationis apud se  
 statutae interpres, vix ullum tempus concessum, atque actio-  
 nem ad excercendam commissoriam statim, i. e. nisi intra modi-  
 cum tempus institueretur, exclusam esse. Nec eos absque  
 omni ratione hoc fecisse abnuam, quanquam et erroneae irre-  
 plisse videantur. Iure enim posituo nimium quantum imbuti,  
 de discordia legum ipsarum atque naturalis rationis non anxie  
 solliciti, inhaerabant verbis, generaliter accipiebant l. 4. §. 2.  
 et l. 6. princ. ff. de leg. comm. arrhamque una cum pretii iam  
 soluti parte eodem modo, ac merces vectigali non soluto, com-  
 mitti putabant. Accedebat; vt existimo, quod abusu legis  
 commissoriae (puta specialiter pacificendo in arrhae pretiique  
 amissionem, cui tamen, annuente lege, <sup>a)</sup> fides seruanda erat)  
 asperitas in dies cresceret, quod ii, qui, publicanorum iuris cu-  
 pidissimi, id per pactum sibi conciliare studiissent, ne, si ex  
 lege ipsa illis ob varias interpretationes et opiniones non tri-  
 bueretur, eo carerent, plerumque publicani, mente tales,  
 erant, quorum audaciae temeritatisque laudes ab Vlpiano <sup>b)</sup>  
 nostraetas excepti. Ipsi Imperatoribus, quamuis eam non  
 quidem improbauerint, displicuerat tamen commissoria lex, et  
 studebant, emitoribus succurrere. <sup>c)</sup> Usurariae praeterea praui-  
 tatis species, in quam iuris Canonici dispositiones excommu-  
 nicationis et asininae sepulturae poenam cumularunt, omnibus

<sup>a)</sup> scilicet l. 1. C. de past. int. <sup>x)</sup> L. 12. D. de publican.  
 emt. et vend. <sup>y)</sup> L. 38. D. de minorib.

versabatur ob oculos, quamobrem omne id, quod eam redolere posset, fugientes, legem commissoriam, saltim effec-<sup>tu</sup>, eo citius abolere allaborabant, quo magis eam ad conscientiam referebant. Ita enim quoque Brunnemannus,<sup>2)</sup> mixtis perfectis imperfectisque obligationibus, iudicauit, si cum imperito contrahatur, vix posse hoc lucrum arrhae et pretii, quamvis lege permittente, salua conscientia retineri. Sed aliam quoque licet fundamento eius resecti praescriptionis spatii ponere rationem, eamque longe puriorem, ut conciliemus scriptis iuris verba legibus naturae, hanc nempe, quae usucaptionum et praescriptionum est mater, ut dominia fiant certa, rixae rares, litibus finis imponatur, ciuesque ad rem suam reddantur attentiores, ut succurratur industriae emtorum, in quibus salus publica ex priuatorum salute virescet. Non enim erit negandum, dominiorum temporalem translationem, praesertim si resolutio, cum casus exsilit, a voluntate vnius penderit, etiam tertio facile nocere, industriae obesse, et emtores in colendo fundo facile reddere negligenteriores, immo fundo ipsi, sequenti instar, perniciosiores. Nam ea quoque, quae meliorationem nomine veniunt, quaeque, re ad tempus possessa redditum, repeti possunt, laborum studii et impensarum summae saepe haud respondent, ut sola spes, earum pretium consequendi, vix poterit ad diligentiam permouere. Praeterea ad hoc accedit aliud, probationem eorum, quae appellantur meliorationes, mutatum scilicet, quae rei augent pretium, plerumque valde esse difficilem, eiusque causa saepe lites magnas in multos protracti annos, quod potest et emtorem taedere, magna parte pretii meliorationum in litis sumptus erogata, et venditorem, exercente interea emtore ius retentionis. Quae omnia si perpendamus aequo animo, humanum omnino est, ut praescriptioni

<sup>2)</sup> in Comment. ad Pand. tit. de lege commiss. ad leg. 6.

huius actionis venditi, quae ex pacto venit commissorio, breuissimum statuatur tempus, quod etiam omnibus fere pragmatice scriptoribus placuit.

§. 16.

*Quodnam spatium ad actionem ex lege commissoria instituendum a DD. concedatur. Applicatur l. 21. D. de pec. constit.*

De ipso temporis spatio autem non inter Doctores concurrit, nisi, quod id paucis diebus finiri existimauerint, et fere in eo fuisset, ut decem diebus id includi putarent. Qui actionem ex lege commissoria post decem dies praescriptam affirmant, nituntur, duce Nicolao Valla,<sup>c)</sup> qui primus eam legem cum hac materia iunxisse videtur, in argumento legis 21. ff. de pec. constit. secundum quam Paulus libro 29. ad edictum Praetoris scribit, quanquam contra eum, qui sine die constituisse, confessim agi posset, si statim, ut constituit, non solueret, tamen modicum tempus statuendum esse, non minus decem dierum, ut exactio celebretur. Verum enim vero hanc legem cum illa l. 4. de leg. commiss. non puto bene coniungi. Etenim in l. 21. de pec. const. manifeste agitur de pacto praetorio constituti, in qua non distrahendi, sed magis contrahendi causa est, cum e contrario lex commissoria ad dissoluendum contractum fuerit inuenta. Deinde non praecipitur in l. 21. de pec. const. de actionis amittendae modo, sed de initio eius temporis, ex quo actio institui posset, ut multo magis, augeri praescriptionem, quam minui his, diceres. Nam in ea etiam specie, quae proponitur in l. 21. ita rem videmus comparatam esse, ut neque creditori, neque debitori, vlla circumstancia

a) loco §. 14. excitato.



stantiarum consideratio, aut electio, quid consultius, opus sit. Creditor his non eget, quum partim actio de constituta pecunia perpetua sit, partim constituto non tollatur prior obligatio, nec destituatur ipse actione, quam ante constitutionem habebat, <sup>b)</sup> partim pecuniam, quae praetori, obseruante Noodtio, <sup>c)</sup> solumento res pondere, numero et mensura constans erat, persequebatur, in qua petenda nulla electio esse potuit, quando aliud quidem pro alio, si excipias pretium pro specie, quae debebatur, perdita, nunquam queat peti, neque igitur deliberatio, quid petere consultius. Debitor e contrario illis quoque non habet opus, quum, qui sine die constituit, sibi met ipsi habeat, quod obligationem puram ipso pacto in se suscepit, cuius dies per rei naturam statim et cedit et venit. Neque enim ea temporis lapsu, scilicet x. dierum, efficaciam demum nanciscitur, quippe quod ipsi tantum propterea conceditur, quod non in ipso momento promissionis ad soluendum potest esse paratus. Denique, qui constituit, promisit aliquid facere, seu soluere, quod ab ipsis voluntate et rei familiaris viribus, quas iam ante diem satis percognitas habuisse, merito putatur, pendebat. Huic igitur spatium decem dierum indulgere, priusquam in mora fuisse existinetur, plus est, quam venditori decem menses ad exercendam commissoriam tribuere. Praeterea hoc non filebo, constituentem in lege citata non absisse promoso declarari debitore, si intra x. dies non fecit, quod constitutum est, sed ei ultra x. dies adhuc spatium a circumstantiis pendens, concedi, quod iudex arbitrabitur. Haec enim sibi verba, non minus decem dierum, volunt. Si igitur lex dicta 21. ad legem commissoriam applicanda esset, quid inde inferatur?

<sup>b)</sup> I. 1. 2. C. de const. pec.

<sup>c)</sup> Gerhardus Noodtius in Comm. ad ff. tit. de pec. const. Tom. II. P. 255. l. 28. ff. cod. sit. <sup>d)</sup> cod. loco.

tur? nil sane videtur, nisi hoc, quod emtor, qui sine die solu-  
tioneum pretii promisit, ita enim statim premium debetur, tunc  
deum pro moroso et lex commissa haberi possit, si intra x.  
- dies, a die promissionis, non soluerit, quod tamen a sententia  
applicantium plane abhorret.

## §. 17.

*Continuatio ex argomento l. 15. §. f. et l. 16. D.  
ex quibus causs. maior.*

Lubet alterum textum, quem Nicolaus Valla in suam sen-  
tentiam laudauit, etiam inspicere, et inuestigare, quanam simi-  
litudine fuerit commotus, ad arbitrandum, eum pro opinione  
sua facere posse. Est autem lex 15. §. vlt. et lex 16. ff. ex qui-  
bus caussis mai. xxv. annis in integrum restituuntur. Ea  
ipsa verba Vlpiani:<sup>e)</sup> Sed quod simpliciter praetor edixit,  
posteaue, ita accipiendum est, vt, si inchoata sit bonee fidei  
possessoris detentatio ante absentiam, finita autem reuero, re-  
stitutionis auxilium locum habeat, non quandoque, sed ita de-  
mum, si intra modicum tempus, quam rediit, hoc contigit;  
id est, dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit,  
querit aduocatum. Nam eum, qui differt restitucionem, non  
esse audiendum, Neratius scribit; quam Vlpiani sententiam  
sequuntur<sup>f)</sup> ex Pauli commentariis haec: non enim negligen-  
tibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis. Totumque  
illud arbitrio praetoris temperabitur, id est, vt ita demum re-  
stituat, si non negligentia, sed temporis angustia, non potue-  
runt litem contestari. Rem ipsam si paullo accuratius perpen-  
dimus, inueniemus, Praetorem edixisse, sele rerum, ob quas  
restituebantur maiores xxv. annis, actionem intra annum, quo

F 2

e) in l. 15. §. vlt. D. ex quibus cauf. mai. f) L. 16. D. eod.



primum de ea re experiundi potestas esset, daturum. Inter  
hasce causas in Edicto, ex mente Noodtii, <sup>g)</sup> retulerat, si cuius  
quid de bonis diminutum erit, cum is metu aut sine dolo malo  
reipublicae causa abesset, inve hostium potestate esset, post  
eave: ex quo in dubium vocabatur, intra quodnam tempus  
post reuersionem diminutio contigisse oporteret, vt absens re  
dux factus restitueretur. Verbi enim, posteave, latitudo nimis  
longum tempus includebat. Ne igitur Edictum absurditate la  
boraret, secundum rationem eius Vlpianus existimat in la  
data lege, absentem reducem ob deminutionem, quam in bonis  
ob vsucaptionem, a bona fidei possessore iam ante eius absen  
tiā inchoatam, post reuersionem autem finitam, passus sit,  
non quandoque, (quandocunque postea finita sit,) sed ita de  
mum iri restitutum, si intra modicum tempus, quum rediit,  
dum hospicium conductit etc. hoc (scil. finis vsucaptionis) con  
tigerit, quoniam, quod ad illud, non per temporis angustiam,  
sed per domini negligentiam, factum sit, vt vsucatio absque  
interruptione finiretur. Sed hoc quoque nihil ad rem nostram  
effici, cum ex eo puto elucere, quod x. dierum nulla plane  
fiat mentio, tum ex ea diueritate, quae hocce iudicium, actio  
nemque ex lege commissoria intercedit. Ut taceam, illud ex  
iure honorario; hanc ex iure ciuili nasci: per illud rescinditur  
auctoritate publica actus stricto iure validus citra vllum eius,  
cui res auferitur, consensum; hac ex ipso pacto et consensu  
eius liberrimo. Praeterea in illo actor per modum exceptio  
nis contra ius ciuale ob negligentiam excusabilem restituitur:  
In hac agit venditor, diligens vir, qui pacto sibi cauebat. Sed  
in illo etiam nulla electio locum habet, neque eius vlla est oc  
casio:

<sup>g)</sup> in Comment. ad Pand. ad tit. §. 7. et Chr. Goth. Hofman  
tit. ex quibus cauß. maior. T. II. ni histor. iur. Rom. Vol. II.  
Pag. 102. adde I. Voet. ad eund. pag. 316.

**Casio:** in hac vero maxime, utrum scilicet rem an pretium petere expediat, disquirendum et alterutrum eligendum est.

§. 18.

**Ex analogia alia praescriptionis enarrantur  
fundamenta.**

Non obscurum est, spatium id decem dierum ex analogia, ob legem 21. §. 1. de pecun. constituta, placuisse his, qui actioni venditi, de qua agimus, idem praescriptionis causa dede- runt. Ita enim rationes ducuntur, quemadmodum per legem 21. si quis sine die constituerit, ut statim contra eum ex consti- tuto agi possit, ei modicum tempus, non minus decem dierum, relinquendum est: ita vendor, quia statim, per legem 4. §. 2. de lege commissoria, statuere debet, utrum velit commissoriam exercere, id etiam debet intra decem facere dies. Verum, si ex analogia ea res petenda est, multa alia dici possunt quam commodissime. Certe, si ad hanc respicimus, simulque ad id, quod iure Romano in aliis causis constitutum est ratione spati ad agendum concedendi, res admodum fieri poterit incerta, si certum aliquod spatium determinandum est. Nolo de bi- duo, triduo, caeterisque, quorum supra mentio facta est, verba facere. Sed tantum de spatio, quod ad pactum displicentiae pertinet, monebo. Hoc pactum, emtioni venditioni adie- citum, pro conditione, ut dicitur, resolutiu habendum est.<sup>2)</sup> Quamobrem cum proxime accedat ad eam materiam, quam tractamus, dupli respectu, partim, quod eodem modo, ut lex commissoria, emtioni venditioni adiiciatur, partim, quod itidem resoluat: multo maiori iure videntur, quae huius pacti sunt,

F 3

b) L. 3. D. de contr. emt.



❧      ❧      ❧

sunt, quam, quae in pacto constituti statuta sunt, transferri ex analogia posse ad legem commissoriam. Ex hoc displicentiae pacto <sup>i)</sup> quoque res inemta sit, <sup>k)</sup> et actio datur ad redhibendum, <sup>j)</sup> emti vel in factum, <sup>m)</sup> ita, ut cum neque certus dies, intra quem displicentiam declarare liceat, constitutus fuerit, <sup>n)</sup> neque expressis verbis, vt in perpetuum fiat redhibitio, <sup>o)</sup> parti sint contrahentes, LX. dies iuris exercendi causa dati sint, <sup>p)</sup> intra quos agendum est, <sup>q)</sup> nisi impeditus emtor fuerit, quo minus ageret, <sup>r)</sup> Posset igitur, cum in pacto commissorio exercendo quaedam quoque inest poenitentia, tempus autem x. dierum nimis fere videatur ad deliberandum breve, hoc spatium <sup>z</sup> x. dierum etiam venditori relinqu, ut commissoriā exerceat, quamuis non inficer, disparitatē eam accommodationem non carere. Sed ea quidem ex iure Romano. Possem etiam de iure Canonico agere, ex quo quaedam explicatio verbi statim sumitur.<sup>t)</sup> Non tamen de eo multa dicam, vt potius agam de his, quae ad nos magis pertinent. Scilicet nil video, quod obstet, vt, si breuius spatiū praescriptionis ratione eius actionis, de qua agimus, statuendum est, id ex analogia iuris patrii repetamus. Neminem enim fugit, passim,

ad

<sup>i)</sup> de quo videantur, quae scripsit Illustr. Hommel ad Mencken, de action. forens. nota 718.

<sup>k)</sup> dicta L. 3.

<sup>l)</sup> L. 31. §. 22. D. de aedil. edicto.

<sup>m)</sup> L. 6. D. de rescind. vendit. conf. Lynckeri (sub nomine Nicei) monita ad Stryck de act. for. monit. 1583.

<sup>n)</sup> L. 6. modo laud.

<sup>o)</sup> L. 31. cit.

<sup>p)</sup> ead. L. 31. §. 22.

<sup>q)</sup> conf. Voet. in comm. ad Pandtit. de aed. edict. §. 26. P. I. p. 777. Stryck de action. forens. Sect. I. membr. VI. §. 19. p. 98.

<sup>r)</sup> L. 31. §. 23. D. de aed. edict.

<sup>s)</sup> vid. quae supra ex Richteri libro de signif. aduerb. in iure exposita sunt.

ad abbreviandas lites, in legibus provincialibus certa statuta esse tempora, quibus praeterlapsis, astu cuidam expediendo praescribitur. Communi quodam nomine id spatium terminus ordinis, *Ordnungsschrift*, nominatur, varius is quidem pro vario territorio. Quamobrem possumus hoc quoque sumere, venditori, quod cuiuslibet provinciae ordinarium ad actum iudiciale expedientum est tempus, ad exercendam commissiam dandum esse. De Saxonia, ne in immensum crescat eius rei explicatio, videamus. In nostris legibus aliquando occurrat verbum: *alsbald*, quod respondet latino: *statim*. Ita litem contestari iubetur reus statim *alsbald* exceptionibus dilatoris propositis.<sup>1)</sup> Sed ad litem contestandam spatium Saxonum, id est xlv. dierum, dandum est. Et hoc quidem spatium in Saxonia, unde quoque nomen natum est spatiis Saxonici, *Sächsische Frist*, est ordinarium, quod ad expediendum aliquem actum in controversia judiciali destinatum est, in primis, si ex neglecto actu magnum alicui immineat damnum,<sup>2)</sup> quam ob rem Saxonius terminus ordinis appellari merito potest. Hinc etiam Richter<sup>3)</sup> cum de significatione verbi *statim* scriberet, haec de iure Saxonico addidit: more Saxonico *statim* sit et in contineenti, si fiat intra terminum executioni praefixum legitimo modo, ita, ut post vltiori deductione non indigeat. Ipsa etiam executio iure Saxonico antiquori spatium Saxonum concedit reo actori satisfacturo.<sup>4)</sup> Pari modo Bergerus<sup>5)</sup> putauit, cum debitori, qui pure debet, dilatio aliqua sit concedenda, eaque ex more regionis, in Saxonia eam ad terminum Saxonum extendendam esse. Quod spatium vti datur in singulis li-

<sup>1)</sup> Ord. Proc. Sax. Tit. XI. §. 1.

<sup>x)</sup> Ord. Proc. Sax. Tit. XXXIX.

<sup>2)</sup> ead, sed recognita Tit. IV. §. 3.

<sup>y)</sup> in Oeconom. Iur. L. III. tit. I.

<sup>3)</sup> in laud. tract. de signif. ad uerb. th. 8.

tit iam motae partibus, veluti ad litem contestandam, probato-  
riorum articulorum oblationem, producendos testes et docu-  
menta, praestandum iusurandum: ita quoque saepius ex no-  
stris legibus terminus perentorius est inchoandae controuer-  
siae judicialis. Huc refer, si quis ad agendum prouocatur,  
qui ius suum, alias perpetuum, finito spatio Saxonico, amittit.<sup>2)</sup> Eodem modo, cui competit ius ex pacto retrouen-  
tionis, exorto concursu creditorum ad emitoris bona, intra  
spatium Saxonicum id debet exercere.<sup>3)</sup> Ita quoque, qui  
conuentus in iudicio condemnatus erat, et, ut deponat pecu-  
niā soluendam apud iudicem, ob certas causas impetravit, re-  
conuentione cadit, si intra spatium Saxonicum, a iudice praefi-  
niendum, libellum non offerat,<sup>4)</sup> in qua causa verbum: *als-  
bald, statim,*<sup>5)</sup> ex ipsa lege in hunc modum interpretationem  
habet. Quae si considero, vix contineor, quin affirmem, spa-  
tium Saxonicum in Saxonia venditori dari deberi, quo apud se  
deliberet, vtrum commissoriam exercere, an pretium cum vsu-  
ris morae petere malit. Sunt tamen etiam alia tempora, lege  
Saxonica praescripta, quae analogiae locum videntur relin-  
quere. Itaque, qui sub hasta publica fundum emit, pretium  
vero, quod statuit, vel in termino adjudicationis, vel iis die-  
bus, quos emtione adiecerat, non soluit, ei spatium trium se-  
ptimanarum conceditur, quo praeterlapsi omni iure, quod ex  
emtione publica habebat, priuat<sup>6)</sup> Quae res cum nostra  
causa similitudinem habet et maiorem, quod vera insit lex com-  
missoria,

2) Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. V.

§. 5. in fin.

a) Dec. Elect. Sax. XXVII. d. a.

1746.

b) Ord. Proc. Sax. Rec. Tit. VI.

§. 2.

c) hoc ineft in Ord. Proc. Sax.

Vet. Tit. VI. §. 2. verbis: *seine Re-*

*conventions - Klage als bald wünch-*

*lich übergebe.*

d) Ord. Proc. Sax. Rec. Tit.

XXXIX. §. 17. *Bon. huius*

missoria, emtione non per pactum adiecta, sed per legem, vi  
 cuius in ipsa emtione inest lex commissoria, imo talis,  
 quae istum effectum, dubium alias, vti supra monui, habet; ex  
 ipsius legis praecepto, in ea specie, si bona debitoris obaerati  
 veneant, vt pars pretii soluta, resoluta emtione venditione,  
 apud venditorem remaneat. Quare, si hoc spatium trium  
 hebdomadum pro iusto acciperetur, quod venditoti alii ad ex-  
 ercendam commissoriam dandum esset, apprime id ex analogia  
 defendi posse videtur. Aliud adhuc addo exemplum. Quodsi  
 debitoris fundus aeris alieni causa vendendus est publice, eo  
 die autem, qui publicae venditioni sive subastaionis dictus est,  
 vel nullus compareat emtor vel vnus saltim, quo facto aut cre-  
 ditori, cuius causa fundus hastae subiiciebatur publicae, is in  
 solutum dandus, aut cum uno illo ad emendum parato, quia  
 nemo adest, qui eum licitatem supereret, transigendum de pre-  
 tio est, conceditur debitori spatium sex mensium ad fundum  
 reliuendum.) In hac quoque causa de venditione agitur, et  
 est quoddam dominii reuocabilis genus, quemadmodum tale  
 inest in venditione sub lege commissoria. Quamobrem, si, vt  
 verbum, statim, ex lege 4. de lege commissoria, effectum for-  
 tiatur, ex legum analogia deriuandum est breue aliquod tem-  
 pus, quo actioni venditi ex lege commissoria praescribatur,  
 ne is quidem errare credendus est, qui id sex mensium spatio  
 circumscriberet. Etsi alia adhuc, quae analogiae sunt, enum-  
 rari possent, tamen ea omnia praetereo. Satis iam ex his ipsis,  
 quae commemorauit, manifestum fieri existimo, argumento ex  
 analogia petito in hac re parum effici, quin potius lubricum id  
 esse atque incertum, partim ob magnam illam breuiorum pra-  
 scriptiois temporum diuersitatem, partim ob varias auctorum  
 verba statim et similia explicantium opiniones, vt fere videatur

G

optime

e) eod. §. 19.

optime statui, non aliam in hac actione venditi, quam in alia eiusdem nominis et in quacunque personali, praescriptionem, non igitur peculiarem quandam et breuem, sed ordinariam, locum habere, nisi lege aliqua publica expressis verbis extraordinaria quaedam fuerit constituta. Cum tamen longum id praescriptionis ordinariae tempus in hac quidem causa magna secum ferre possit incommoda, propter incertum, vtrum dominium ad venditorem reuersurum sit nec ne, quod parere potest negligentiam emtoris in fundo colendo, lites, si bene co-luit, de meliorationibus aestimandis, de fructibus, qui restituendi sunt, et alias: configendum erit ad arbitrium iudicis.

§. 19.

*Iudicis arbitrio, pro circumstantiarum diuersitate, tempus praescriptionis actionis venditi ex lege commissoria relinqu potest.*

Tota igitur quaestio ad arbitrium iudicis referenda erit, id autem ipsum a circumstantiarum diuersitate pendebit. Non quidem possumus illam diuersitatem enumerare: attamen, si mihi licet de hac re periculum facere, idque, quod sentio, in medium proferre, potissimum in determinando temporis spatio, quo solo eius lapsu, nullo interueniente facto, ius venditoris a contractu recedendi finiri debeat, respiciendum esse, existimo, ad genuinum legis 4. §. 2. sensum. Nec locum multo minorem sibi vindicabit finis, cur pactum commissorum venditioni adiicitur, nempe is, ne cautus et diligens homo damna subiret, quae ei ex seruato contractu, si emtori nequaquam bono, sed negligenti patrifamilias, feso obligatum sentiret, nascerentur. Hanc enim ob rationem Pomponius id venditoris caussa caueri dixit,<sup>f)</sup> et, ne in absurdum cedat omnis

f) in l. 2. D. de leg. commiss.

omnis cauta pactio venditoris, adiecit, quod, si alitef accipere-  
 tur, non posset non fieri, quin emtor casum, qui a momento  
 perfectae emtionis ad illum spectaret, non dando pecuniam a  
 se declinaret. Venditor diligens in rebus suis plerumque tum  
 non aliter, nisi sub lege commissoria, dominium transferri pa-  
 tietur, cum emtor se obtulit ignotus. Quid enim sibi ab em-  
 tore percognito bono viro caendum esset? Iam addas, malos  
 emtores plerumque boni diuitisque viri speciem prae se ferre  
 tam diu, quam diu vnguam potuerint. Saepe suspicio tunc na-  
 scitur, cum lex committitur. Sed venditor vnumquemque bo-  
 num praesumere solitus non statim statuere potest, an causa  
 morae, et exinde nata suspicio, per emtorem feterit. Audit  
 quidem insinuationes sententiasque hominum de emtore, sed  
 incertas eas, nonnunquam parum inter se conuenientes. Quam-  
 obrem vix, nisi conuictus, emtorem malum iudicat. Abest  
 fortassis longe emtor, abest a domicilio, quod antea habuit,  
 abest forsitan e contrario fundus, ex cuius cultura colligi possit,  
 vtrum emtor eum destruendi coque abutendi, an potius con-  
 seruandi sibi sit cupidus. Nec constat, an fructuum restitu-  
 nem consequi venditor queat. Fac tandem, diem commis-  
 soriae praestitutum breuissimo intervallo sequi eum, qui est initi  
 contractus. Consumetur inter ipsas deliberationes dies unus  
 et alter, quin consumentur decem et plures, ut admodum  
 iniquum videri possit, creditorem a iure suo adeo breui spatio  
 excludere. Persuasum tibi habeas, tales circumstantias, quibus  
 venditor sicut impeditus ad exercendam commissoriam, tandem  
 tamen ad id compulsus, coram iudice non proponere solum,  
 sed probabiles etiam reddere, difficultimum esse opus. Quam-  
 obrem impedimenta, quibus venditor retinebatur, pro graui-  
 oribus habere, etiam si iudex aliis ex causis deinde ad aliter sen-  
 tiendum impellatur, eo est humanius, quo diligentiori et accu-  
 ratiiori rerum contemplatione in hac causa opus est, quia, ele-

Aione facta, nullus datur recursus, nullaque permittitur varia-  
tio. Vtrum vero habenda sit etiam ratiō emtoris in circum-  
stantiarum atque damnorum examine, ardua est quaestio. Ve-  
rius dicemus eam negando, siquidem pactum commissorium  
secundum legum verba venditoris causa inuentum est. Non  
abnuo quidem, dari etiam posse speciem, qua emtor in suum  
fauorem pactum addat, vt res sit sub certa conditione inemta,  
v. g. si venditor rem venditam a pignoribus intra certum tem-  
pus non liberasset. Tamen, vtrum hoc vere possit lex com-  
missoria appellari, dubium est. Quamobrem redeamus ad  
commissoriam legem venditoris gratia adiectam. Iam emtor  
ita pactus est, et promisit, sese, commissa lege, rem restituturum  
fore. Nec alia conditione dominus factus est, nec alia spe  
fundo meliorem reddendo operam nauauit. Quamobrem,  
etiamsi arrham, partem pretii solutam, imo meliorationes ma-  
xiimo sumtu et studio comparatas perderet, dummodo ita pot-  
est condemnari, tamen damnum omne ex propria voluntate  
suaque culpa sentiret. Hoc vero dubio carere videtur, posse,  
siquidem nullus certus terminus ad instituendam venditi actio-  
neum, praeter praeescriptionis ordinarium, dandus est, emtorem  
prouocare venditorem ad agendum, in quam sententiam fere-  
bit Stryckius.<sup>g)</sup> Ipsa verba legis 4. de lege commiss. in eam  
collineare videntur: statuere venditorem debere. Non addi-  
dit jurisconsultus, vtrum vltro statuere debeat. Neque id ef-  
fectum habere potest, si solis cogitationibus id statuere conti-  
neatur. Occasionem igitur definiamus necesse est, quae incitet  
venditorem, vt statuat, vtrum velit commissoriam eligere, an  
premium petere, veluti, cum debitor, moram purgaturus, pre-  
mium offerat, vel, quod nunc sumi, si eum ad eligendum  
prouocet.

§. 20.

g) in vsu mod. Pandect. tit. de lege commiss. §. 8.

## §. 20.

*Exemplis propositum demonstratur.*

Quod attinet ad usum fori, is arbitrium iudicis, de quo antea actum est, non excludit, ut proinde, nullum certum et definitum tempus dari, quo huic actioni venditi ex lege commissoria prescribatur, nullamque regulam nisi: quam citius potuit venditor, eam instituat, id potius spatiū, quod iudex arbitrabitur, de decem dierum spatio non anxie sollicitus, affirmandum sit. Quapropter etiam Summus in Saxonia Electorali prouocationum Senatus pro ratione circumstantiarum iudicauit anno 1785. in causa mutui D. I. T. K. für sich und als Procurator commun. I. L. B. und Conf. contra F. A. R. condemnatorie, ex hac ratione, daß die ländliche Nachsicht einiger Wochen ob l. 105. ff. de solut. et liber. bey halbjährigen Zahlungen, da kein anderer actus in contrarium beigebracht werden mögen, Klägern nicht zum Nachtheile gereichen könne; absolutorie vero an. 1788. in causa mutui I. G. v. B. und Conf. contra I. M. G. v. D. addita ratione: weil Kläger von Michael 1787. bis zum 24. Januar 1788. mit Anstellung der Klage angestanden, et nuperim superiori anno absolutorie in caula emti venditi M. C. F. v. S. contra I. E. K. das Guth A. mit S. im Amtsbezirk S. betreffend, adiectis rationibus: daß in dem gegenwärtigen Falle dergleichen Umstände, derenthalber der Begriff des in c. l. 4. §. 2. gebrauchten Wortes statim, bis auf 13. Tage, (tamdiu enim actor distulerat libelli oblationem ab eo die, quo lex erat commissa) auszudehnen, nicht einräthen, da Kläger zur Verfallzeit nicht weiter, als 7. Meilen, von Dresden entfernt gewesen, und so viel Zeit nicht nöthig gehabt, um in dieser auf klare Urkunden beruhenden, mithin keiner langwierigen Information oder Vorbereitung bedürfenden Sache eine Klage fertigen und althier einreichen zu lassen, oder auch Beklagte auf andere Art von seinem wegen Wiederaufhebung des Kaufs gefassten Entschluße zu benachrichtigen; quae tamen sententia nondum in rem iudicata abiit.

## §. 21.

*An praescriptio actionis venditi ex lege commissoria extraiudiciale interrupi posse. Replica venditoris agentis.  
Index ex officio interpellans.*

Hanc praecriptionem interrupi posse, actione ex lege commissoria iusto tempore instituta, facile patet, sed, an id etiam fieri possit nuda declaratione extrajudiciale, dubium est. Et quidem praescriptionis interruptionem in vniuersum si perpendamus, sunt multi, qui solam interpellationem denunciationem priuatam ad usurpationem sufficere, statuunt, alii tamen, qui id negant. Bergerus<sup>h)</sup> quidem id affirmat, quamvis praeiudicis ex Iurisconsultorum Lipsiensium et Wittenbergensium sententiis sibi inuicem repugnantibus. Nam etiam testatio publice proposita quaecunque efficacia non destituitur.<sup>i)</sup> Eadem sententia fere Wernheri<sup>k)</sup> est, nimis, solam interpellationem extraiudicalem in certis casibus, speciatim, quoad actiones personales, effectum interrumpendi habere, quam etiam Hertius<sup>j)</sup> amplexus est. E contrario, denunciationem extraiudicalem non interrumpere praeescriptionem, cum aliis docet Carpzouius,<sup>l)</sup> item Schilterus.<sup>m)</sup> Prior sententia et cum aequitate magis conueniens videtur, et, si ad bonam fidem respicias, iustior. Quid inde circa hanc actionem ex lege commissoria iuris erit? Et sufficere extraiudicale interpellatio-

nem,

<sup>h)</sup> in Oecon. Iur. L. II. tit. II. th. 26.

<sup>i)</sup> Berger in Elect. Disc. for. Tit. IV. obs V. not. 1. p. 82. et in collectis a filio Decision. Summi Prouoc. Senatus, dec. LXXXIX. Pag. 92.

<sup>k)</sup> in Obseruat. forens. P. VI. obs. CCCC.

<sup>l)</sup> in Tom. II. Decif. CXXXII. <sup>m)</sup> in definiit. for. P. II. Const. VII. def. 8. n. 1.

<sup>n)</sup> in praxi iur. Rom. Exercit. XLV. §. 60.

siem, cum ex generaliori illo asserto, tum propere, quod in  
lege 4. de lege commiss. de statuendi forma nihil praescriptum  
sit, ad existimandum, adducor eo magis, quo certius est, iam  
olim fere in illam sententiam iusse ICtos. Sunt enim in deci-  
sionibus, quas collegit Christoph. Henric. de Berger, duae, °)  
secundum quas extrajudicialis vendoris interpellatio post  
commissam legem facta, ut emtor pretium soluat, contra il-  
lum effecit, ut causa, qua rescissionem contractus postea pe-  
tebat, caderet. Idem in specie contraria, si priuata denuncia-  
tione declarauerit, velle se exercere commissoriam, statuere  
licebit. Ea spes vendoris etiam firmari videbitur ex rationi-  
bus in causa supra laudata v. S. contra K. verbis: oder auch Be-  
klagte auf andere Art von seinem wegen Wiederaufhebung des Kaufs  
gefassen Entschluß zu benachrichtigen, quanquam bene scio, ra-  
tiones non esse ipsum sententiam. Plane etiam contrarius est  
Stryckius, °) qui contendit, renunciationem iuris, quod ha-  
bet vendor ex lege commissoria, ex eo sumi non posse, quod  
is extrajudicialiter pretium petierit, nisi voluntatis aliae acce-  
dant coniecturae. Eadem sententia reperitur apud Struinium, °)  
aliosque, quos hi duumuiri laudarunt. Quamobrem, etiamsi  
illa defendi bene possit opinio, tutius tamen erit, ut judiciali  
vendor vtatur declaratione, scilicet, ut libellum offerat, quo  
rescissionem contractus poscat. Et id quidem, ut ante expo-  
sui, quam primum agere possit, ne, quod supra etiam demon-  
stratum est, repellatur per arbitrium iudicis, cuius nobile offi-  
cium est, ut in dubia causa reo auxilium ferat, quippe cuius  
partes semper sunt fauorabiliores. Si tamen, cum certus ter-  
minus instituenda actionis non sit praefinitus, nec abscede iu-  
diciali

°) Dec. S. Prou. Sen. CCXXVII. et CCXXIX.

p) in vnu mod. Pand. L. XVIII. tit. III. §. 8.

2) in syntagm. iur. ciu. Exercit. XXIII. th. 39.



diciali interpellatione opus, reus de nimia venditoris mōra in eligendo excipiat, ex denunciatione priuata replica obici poterit. In hac re alia quaedam oritur quaestio, num iudex ex officio possit venditorem compellere, ut eligit pretium vel rei restitutionem, aut, ea nondum tradita, retentionem. Equidem, si regulam sequeris, iudex non imploratus neminem ad agendum adigere potest. At habet ea regula suas exceptiones. Nam si ipsius iudicis interficit, non honorari causa, quod lite mota sperandum est, sed ex alia ratione, in primis, cum simili, ut fere plerumque est, sit magistratus, vel dominus directus, ob lucra, quae magistratui aut domino directo debentur, vel ob iustum in publica re conseruandum ordinem, poterit omnino, non tam tanquam iudex, quam potius tanquam dominus directus aut magistratus, aliquem ad agendum cogere. Ex his sequitur, vt, si talis ratio obueniat circa actionem venditi ex lege commissoria, bene eo vti iure possit. Per se patet, id locum habere tantum tunc, ubi rem venditam esse comperit, veluti, quod contrahentes pacti confirmationem impetrarunt apud eum, vel emtor possidet et iura domini exercet. Eius autem in primis potest interesse, ut dominium certum sit, ob laudemium nondum solutum, cum soluti quidem nulla repetitio sit, quamvis contractus rescindatur, ut quidam volunt, aliis tamen contradicentibus, ) sed e contrario id maxime sit dubium, utrum, quamdiu dominium ex pacto commissorio revocabile est, laudemium possit peti, quod negavit, et quidem, vt reor, iure optimo Molinaeus, ) in primis, si facultas reponendi fundum in longum tempus non sit reiecta.

in officia loco non emissa obnonsumus annos

§. 22.

) auctores ex utraque parte vid. apud Müller, in addit. ad Struvii Synt. iur. ad Exercit. XXIII. th. 36. not. ξ.

) quem Müllerus loco laud. citat.

*Adduntur nonnulla cautelarum causa.*

Quae omnia si probe consideramus, quoad per legem publicam nondum certum praescriptionis actionis, quam tractauimus, tempus constitutum erit, hi, qui sibi pacto commissorio prospicere volunt, vel cautelarum patroni, quorum in ea re consilium efflagitant venditores, cautionibus quibusdam declinare poterunt periculum, ex incerto iure nociturnum. Forment igitur pactum commissorium determinatis et perspicuis verbis, eisque talibus, ut, solam precariam possessionem traditam esse, extra dubium ponatur, eoque ipso saltim rei vindicatio salua sit. Deinde carent, ut emtor, dum se commissoriae legi submittere promittit, etiam venditori in ipso pacto tempus praescriptionis satis longum concedat, quia, quum praescriptionis tempus pacto contrario et protrahi et coarctari possit,<sup>1)</sup> nullum est dubium, quin significatio vocabuli in lege reperiundi: statim, possit pacto determinari, ex quo ipso, quod ad item forte futuram spectat, magnum fiet compendium. Sint denique, pacto iam inito, studiosissimi facienda emtori, quo cito possunt, atque, ut excludatur exceptio, quam supra scripta forte praebent, intra decem dies, saltim extrajudicialis, eius tamen, quae facile probari possit, denunciationis, velle venditorem commissoria lege vti, ne, si agant, obiectionis supra posita occasione, sua causa cadant.

<sup>1)</sup> Stryek de act. for. Sect. I. membr. VI. §. 28. p. 103.

(201 q. 30.2) IV adams J. 1862 not the sh. doctd. (186)

**ULB Halle**  
001 558 609

3



TH-DOC







DE  
LEGE COMMISSORIA  
SPECIATIM  
1795 3  
DE PRAESCRIPSIONE ACTIONIS EX EA DATAE  
AD L. IV. §. II. D. DE LEG. COMMISS.

DISSENTATIO IN AVGVRALIS

QVAM

P R A E S I D E  
D. ERNESTO GOTTFRIDO CHRISTIANO  
K L V E G E L I O

DIG. VET. P. P. O. CVRIA PROV. ELECT. CONSIST. ECCLES.  
SCABINAT. ET FACVLATAT. IVRID. WITTENB. IVDICII  
ITEM PROVINC. IN LVSAT. INFER. MARCH.

ASSESSORE

PRO CAPESENDIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
DIE XIII. APRILIS A. O. R. MDCCCLXXXV  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

F RIDERICVS ALBERTVS SCHMIDT  
KOENIGSBRVCCA - LVSATVS  
RERVM FISCALIVM PROCVRATOR ET CAVSSAR. PATRONVS DRESDENSIS.

WITTENBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT.